AUGUSTISSIMO

INFANTI,

SERENISSIMO

DOMINO

D. ANTONIO,

POST DEXTERÆ OSCULUM,

ADDICTISSIMUS,

ET

OBÆRATISSIMUS SERVUS

AD GENUA PROVOLUTUS



D. D. D.

CONCLUSIONES
THEOLOGO-CANONICAS

EX SELECTIORIBUS JURIS PONTIFICII TEXTIBUS
LEGITIME' DEDUCTAS,

PRÆSIDE R. P. MAG. AC DOCT.

ANTONIO PEREYRA SOC. JESU,

Sacræ Theologiæ Vesperario Professore,

DEFENSURUS

P. FRANCISCUS ANTONIUS

EJUSDEM SOCIET.

In Aula Theologiea Regii Artium Collegii Conimbricensis integra die hujus mensis.

DISPUTABITUR:

Utrùm Divinæ Theologiæ Canonica Scientia subordinetur?

CONCLUSIO I.

AD TEXT. IN CAP. *Firmiter* 1. *de Summa Trinitate, & Fide Catholica,* lib. 1. Decret. tit. 1.

1 

DATUR in Deo Personarum Trinitas. 2 Quælibet ex tribus Divinis Personis est Deus, & omnes tres unus Deus. 3 Quamvis Deus verè dicatur Trinus; non potest tamen dici triplex, aut multiplex. 4 Trinitatis mysterium non est contra rationem, seu lumen naturale. 5 Est verò supra ipsum naturale lumen; seu non potest naturaliter demonstrari evidenter, præcisa revelatione, aut illustratione supernaturali. 6 Imo neque probabiliter cognosci potest solo lumine naturali. 7 Etiamsi supponatur Divina revelatio, non potest ratio naturalis investigare, aut invenire motiva naturalia demonstrativa hujus mysterii. 8 In Deo necessariò admittuntur processiones reales ad intra, & una tantùm Persona Divina improducta. 9 Duæ omnino sunt in Trinitate processiones activæ. 10 Et totidem passivę. 11 Processiones activæ distinguuntur realiter à passivis sibi oppositis. 12 Processiones passivę distinguuntur realiter inter se; non ita tamen processiones activę. 13 Personalitates Patris, & Filii, ut contradistinctæ virtualiter physicè ab spiratione activa, distinguuntur realiter à Personalitate Spiritûs Sancti. 14 Processiones Divinæ consistunt in solo relativo. 15 Processiones Divinæ sunt immanentes, & vitales. 16 Certum est, processiones Divinas esse liberas libertate opposita indigentiæ, & coactioni; non autem, prout libertas consistit in contingentia, seu indifferentia ad essendum, vel non essendum. 17 Nulla ex Divinis processionibus est voluntaria formaliter. 18 Divinæ processiones sunt voluntarię objectivè. 19 Processio Spiritûs Sancti est voluntaria quasi causaliter; minimè verò generatio Verbi. 20 Volitio generandi in Patre non est prior ipsa actuali generatione. 21 Principium productivum ad intra habet veram rationem potentiæ physicè, & realiter productivę. 22 Principium formale *quo* Divinarum processionum consistit in solo relativo. 23 Dantur Relationes reales in Divinis Personis. 24 Tales sunt non solùm secundùm esse *in*, sed etiam secundùm esse *ad*. 25. Sunt transcendentales. 26 Non sunt perfectiones simpliciter simplices. 27 Relationes Divinæ habent existentiam sibi peculiarem, distinctam ab existentia naturæ eodem genere distinctionis, quo Relationes ipsæ, & natura inter se distinguuntur. 28 Divinæ Relationes non distinguuntur realiter à natura Divina. 29 Distinguuntur autem ab illa distinctione virtuali intrinseca. 30 Dicunt perfectionem non solùm secundùm esse *in*, sed etiam secundùm esse *ad*. 31 Nullus Catholicus dubitare potest, dari in Deo ad intra tres Relationes realiter distinctas, scilicet Paternitatem, Filiationem, & Spirationem passivam. 32 Difficultas solùm est: Utrùm in Deo detur quarta Relatio, quæ dicitur Spiratio activa, per quam Pater, & Filius referantur ad Spiritum Sanctum? Affirmativè respondemus. 33 Certum est, Spirationem activam distingui realiter ab spiratione passiva. 34 Spiratio activa est una indivisibiliter in Patre, & Filio.

CONCLUSIO II.

AD TEXT. IN CAP. *Damnamus* 2. eod. tit.

1 DANTUR in Deo tres omnino Personæ inter se realiter distinctæ. 2 In Deo non solùm dantur tres Personæ in concreto, sed etiam tres personalitates, sive subsistentiæ relativæ in abstracto. 3 Personæ Divinæ constituuntur per naturam, & proprietates personales. 4 Personę Divinæ distinguuntur formaliter, & positivè eisdem proprietatibus, quibus formaliter constituuntur. 5 Constitutivum Divinarum Personarum in esse rei independenter à nostro concipiendi modo sunt ipsæ Divinæ personalitates secundùm omnia prædicata in ipsis inclusa. 6 Quoad nostrum verò inadæquatum concipiendi modum Personę Divinæ constituuntur in ratione Personæ per proprietatem personalem sub expressione solius hypostasis, sive subsistentiæ. 7 Præter tres subsistentias relativas non admittimus in Deo subsistentiam absolutam. 8 Personæ Divinæ sunt omnino æquales in perfectione. 9 Catholica doctrina docet, primam Trinitatis Personam dici, & esse propriè Patrem, qui est fons, & origo totius Trinitatis. 10 Unde Pater dici potest absolutè principium, & author Trinitatis; non ita verò initium Personæ productæ. 11 Innascibilitas, prout excludit omnem producibilitatem, est proprietas solius Patris. 12 Secunda Trinitatis Persona verè, & propriè dicitur Filius. 13 Controversia est: Cùr potius secunda, quam tertia Persona sit Filius? Respondetur tamen, rationem esse, quia sola secunda Persona ex vi suæ processionis primariò accipit Naturam Divinam, seu Divinam Intellectionem. 14 Solius Patris est imago Filius in Divinis. 15 Verbum Divinum procedit formaliter ex cognitione omnium, quæ necessariò sunt in Deo; adeoque ex cognitione Essentiæ, Attributorum, & omnium Personarum. 16 Procedit etiam ex cognitione omnium possibilium, & impossibilium. 17 Si autem inferas: Ergo etiam formaliter procedit ex cognitione contingentium? Negamus illationem. 18 Tertia Persona Trinitatis est Spiritus Sanctus, qui non solùm à Patre, sed etiam à Filio realiter procedit. 19 Æquè ab utroque, & non priùs, perfectiùs, principaliùs, magis propriè, aut immediatiùs ab uno, quàm ab alio. 20 Neque solùm æquè, & eodem modo, sed ab utroque, ut ab unico principio. 21 Procedit nihilominus à Patre, & à Filio formaliter, ut à duobus suppositis. 22 Si per impossibile Spiritus Sanctus à Filio non procederet, ab illo realiter non distingueretur. 23 Ex hoc tamen non sequitur, quòd, si Spiritus Sanctus à solo Filio procederet, & non à Patre, etiam à Patre non distingueretur.

CONCLUSIO III.

AD TEXT. IN CAP. *Canonum statuta* 1. *de Constitutionibus*, lib. 1. Decret. tit. 2.

1 LEX definitur: *Ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam habet communitatis, promulgata.* 2 Consistit formaliter, & adæquatè in solo actu voluntatis, quo legislator vult subditos obligare. 3 Maior difficultas est: In quo consistat formaliter lex Naturalis? Probabilior nobis videtur sententia docens consistere in actu voluntatis Divinæ præcipiente id, quod est naturæ rationali consonum, & prohibente id, quod est ipsi naturæ dissonum. 4 Quæ tamen voluntas Divina creaturis rationalibus per dictamen rationis notificatur. 5 Lex propriè talis debet ferri pro aliqua communitate perfecta. 6 Lex debet respicere bonum commune. 7 De ratione legis est, quod sit perpetua, saltem negativè. 8 Dubium est inter Juristas, & Theologos: An lex debeat esse scripta? Theologis negantibus subscribimus. 9 Lex non habet vim obligandi, nisi promulgetur. 10 Sufficit, quòd leges Pontificiæ promulgentur in Curia Romana, ut obligent universum orbem Ecclesiæ subjectum, nisi fortè leges ipsæ aliud decernant. 11 Leges Pontificiæ non requirunt bimestre lapsum à die promulgationis factæ, ut obligare incipiant eos, qui earum notitiam habent, nisi aliud in ipsis legibus exprimatur. 12 Ut leges Cęsareæ latæ pro pluribus provinciis singulos obligent, requiritur promulgatio in qualibet. 13 Pontifex habet potestatem ferendi legea obligantes subditos independenter ab illorum acceptatione. 14 Lex Pontificia, & quælibet alia lex Ecclesiastica de facto dependet ad obligandum ab acceptatione subditorum, quando habent rationabilem causam ad renuendum legi. 15 Lex Pontificia de facto non dependet ab acceptatione subditorum, qui non habent rationabilem causam ad non acceptandam legem. 16 Lex Civilis obligat subditos independenter ab illorum acceptatione, nisi sit observantiæ nimis difficilis, & detur in subditis causa rationabilis non acceptandi. 17 Lex non potest præcipere rem injustam, & moraliter malam. 18 Non requiritur tamen, quòd materia sit de se positivè justa, & honesta; sed sufficit, quòd sit indifferens, dummodo sit utilis ad bonum commune, & ordinetur ad finem honestum. 19 Lex humana Civilis, aut Ecclesiastica potest præcipere actus internos, qui sunt necessarii ad esse morale actionis externæ, & qui sunt veluti formæ constituentes cum actione externa esse morale, v. g. rationem contractûa. 20 Lex Canonica potest præcipere actum internum mixtum, qui dat aliquod esse morale actioni externæ, quamvis sine tali actu actio externa absolutè existeret in esse morali.

21

21 Anverò lex Ecclesiastica, aut Civilis possit directè præcipere actus purè internos? Probabilior est resolutio negativa. 22 Lex humana potest obligare in conscientia. 23 Legislator non potest obligare sub gravi in materia levi. 24 Potest vero in materia gravi obligare tantùm sub levi. 25 Leges Civiles pœnales non obligant in conscientia, nisi legislator id exprimat.

CONCLUSIO IV.

AD TEXT. IN CAP. *Cum omnes* 6. ET CAP. *Ecclesia Sanctæ Mariæ* 10. eod. tit.

1 LEGISLATOR non tenetur suis legibus quoad vim coactivam; atque adeo non fit obnoxius pœnæ per legem suam statutæ contra transgressores, esto ipse talem legem non observet. 2 Legislator tenetur ad observantiam suarum legum in conscientia, & quoad vim directivam. 3 Hujusmodi obligatio in legislatore ad observandas suas leges non oritur proximè, & directè à virtute, & efficacia ipsius legis humanę, sed solùm indirectè, quatenus occasione legis latæ directè obligatur per jus naturale se cum subditis conformare, atque exemplo præire. 4 Legislator, secluso scandalo, aut detrimento alterius, non obligatur graviter ex jure naturali ad observandas suas leges, etiamsi illarum materia gravis sit, & obligent subditos sub gravi. 5 Lex non obligat existentes extra territorium legislatoris. 6 Idem dicendum est respectivè ad locum exemptum, quamvis hic contineatur materialiter intra diœcesim, seu territorium legislatoris particularis. 7 Si in Parochia Petri v. g. sit dies jejunii, & in Parochia, ad quam eodem die moraliter certò perventurus sit, dies jejunii non sit, non potest mane, antequam proficiscatur, carnes comedere, licèt possit alios cibos edere. 8 Si in Parochia Petri v. g. sit dies festus, & in alia non, potest transire ad aliam Parochiam, ut exerceat opera servilia, nec tenetùr audire Sacrum ante egressum, si egrediatur primo mane, & plures Missæ sint celebrandæ usque ad meridiem. 9 Peregrini, & forenses, si accedant ad aliud territorium animo ibi perpetuò commorandi, vel per maiorem partem anni, tenentur legibus illius loci. 10 Licèt peregrini non accedant ad acquirendum domicilium, vel quasi domicilium, obligantur ad leges, conditiones, & solemnitates circa contractus constitutas illo loco, ita ut, si aliter fiant contractus, sint illiciti, vel etiam irriti. 11 Peregrinus tenetur servare leges Juris Communis in loco, ubi vigent, esto in sua patria, seu in loco sui domicilii fortè non sint in vigore ob contrariam consuetudinem. 12 Idem dico de legibus, & statutis particularibus, si vigeant eodem tempore in loco discessûs, seu territorii proprii. 13 Peregrinus etiam tenetur legibus territorii, per quod fit transitus, quando illarum transgressio cederet in speciale damnum ejusdem territorii. 14 Absolutè tamen loquendo, peregrini non tenentur legibus particularibus alieni territorii, antequam acquirant domicilium, vel quasi domicilium. 15 Vagi tenentur legibus locorum, per quæ transeunt. 16 Ecclesiastici non tenentur legibus Civilibus quoad vim coactivam. 17 Ecclesiastici tenentur in conscientia observare leges Civiles nullatenus lædentes libertatem Ecclesiasticam. 18 Controversia est: Utrùm Ecclesiastici obligentur directè ab hujusmodi legibus Civilibus? Probabilior est resolutio negativa.

CONCLUSIO V.

AD TEXT. IN CAP. *Ut animarum* 2. eod. tit. in 6.

1 INDUBITATUM est, potestatem ferendi leges Canonicas principaliter inesse Summo Pontifici, Petri successori. 2 Habet autem Pontifex hanc potestatem immediatè à Christo D. 3 Neque in hac sua potestate dependet Pontifex à Concilio, vel à consensu Cardinalium. 4 Episcopus electus, & confirmatus, licèt non consecratus, habet facultatem ferendi leges Ecclesiasticas. 5 Episcopus non indiget consensu Capituli, vel Cleri Diœcesani ad leges ferendas: 6 Imò nec indiget Episcopus consensu Capituli, vel Cleri Diœcesani ad diem festum stabilem instituendum, saltem in Lusitania. 7 Consultiùs tamen id faciet Episcopus cum consensu Cleri, & populi, saltem negativo. 8 Episcopi accipiunt suam jurisdictionem immediatè à Pontifice. 9 Archiepiscopi, Primates, & Patriarchę non possunt leges condere pro tota Provincia, & Diœcesibus suffraganeis, nisi in Concilio Provinciali. 10 Legati Apostolici possunt leges Ecclesiasticas condere pro sua Provincia duraturas, donec à Summo Pontifice, vel à successore revocentur. 11 Cardinales solùm possunt leges condere in Ecclesiis sui tituli; non verò extra suas Ecclesias. 12 Sede Romana vacante, non potest Collegium Cardinalium leges condere. 13 Concilium generale, si accedat authoritas Summi Pontificis, potest condere leges, quę obligent universam Ecclesiam. 14 Concilia Nationalia, Provincialia, & Synodalia habent potestatem condendi leges. 15 Capitulum Cathedrale, vivente Episcopo, nequit leges condere obligantes totam Diœcesim. 16 Potest tamen, & quidem absque consensu Episcopi sui, ferre leges, & statuta, quibus obligentur ipsimet Capitulares. 17 Item potest, Sede vacante, leges ferre obligantes totam Diœcesim, donec ab Episcopo futuro revocentur. 18.

Summus Pontifex potest condere leges Civiles pro terris sibi temporaliter subjectis. 19 Summ Pontifex non habet potestatem Civilem directam pro toto orbe, neque etiam pro orbe Christia habet tamen indirectam. 20 Imperator non habet dominium jurisdictionis in universum orb 21 Imperator potest ferre leges in omnes provincias sibi subditas. 22 Omnes Reges habentes premam potestatem possunt ferre leges Civiles. 23 Reginæ Titulares non possunt ferre le 24 Reginæ Hæreditariæ possunt ferre leges non solùm, dum sunt in statu libero à vinculo mat monii, sed etiam, quando sunt conjunctæ. 25 Communitates Sęculares, si habeant supremam testatem, possunt ferre leges.

CONCLUSIO VI.

AD TEXT. IN CAP. *Super literis* 20. *de Rescriptis*, lib. 1. Decret. tit. 3

1 RESCRIPTUM strictè acceptum definitur: *Responsum à Principe in scriptis d tum ad alterius consultationem, relationem, vel supplicationem.* 2 Dividitur præcipi in Rescriptum Gratiæ, Justitiæ, & Mixtum. 3 Rescriptum Pontificium ab ex communicato impetratum regulariter est invalidum, & ipso Jure nullum. 4 Quo intelligendum est, etiamsi sit toleratus. 5 Rescriptum Justitię regulariter nemo im petrare potest pro alio, nisi instructus sit speciali mandato. 6 Rescriptum *sic im*petratum ipso Jure est irritum. 7 Si autem quęras: Utrùm speciale mandatum principalis requiratur etiam ad Rescripta Gratiæ? Respondemus negativè. 8 Forma in Rescriptis pręscripta necessariò est observanda. 9 Nec sufficit formam in Rescripto datam per aliud æquipollens implere. 10 Rescriptum vitiatur, si per fraudem, vel malitiam exprimatur falsitas, aut veritas supprimatur. 11 Rescriptum Justitiæ dolo impetratum non est ipso Jure nullum, sed solum irritandum ope exceptionis. 12 Aliud dicendum de Rescriptis Gratiæ. 13 Quando per simplicitatem, vel ignorantiam talis exprimitur falsitas, vel tacetur veritas, qua cognita, Pontifex negaturus fuisset Rescriptum, obreptio, vel subreptio vitiat Rescriptum tam Justitiæ, quàm Gratię. 14 Quando suppressa veritas, aut expressa falsitas talis est, ut, ea cognita, adhuc Pontifex concessurus fuisset Rescriptum, non vitiatur Rescriptum Justitię. 15. Idem censeo de Rescripto Gratiæ. 16 Vitiata una parte Rescripti per obreptionem, vel subreptionem, non vitiatur pars altera, quę à *vitiata* est separabilis. 17 Quando Rescriptum tendit in favorem solius impetrantis, potest hic eidem renuntiare, etiamsi emanasset motu proprio Principis. 18 Si Rescriptum continet favorem plurium, quilibet potest eidem renuntiare, quatenus continet favorem suum, nec lędit favorem alterius. 19 Quando Rescriptum emanavit pro bono publico, licèt ad alicujus instantiam, non potest eidem impetrator renuntiare. 20 Rescripta Justitiæ, seu ad lites, expirant morte concedentis, quando res adhuc est integra. 21 Quod intelligendum est, etiamsi Delegatus ignoret mortem Delegantis, seu concedentis Rescriptum, dummodo non concurrat simul error communis. 22 Rescripta Justitię re integra expirant etiam cessatione officii ipsius concedentis per renuntiationem, vel depositionem, aut translationem ad aliam dignitatem. 23 Ut res desinat esse integra, sicque perpetuetur valor Rescripti ad lites, requiritur, ac sufficit citatio partis ante obitum concedentis facta. 24 Utrùm verò sufficiat, citationem ante obitum concedentis à Delegato emanatam esse, tametsi hæc ad *partes* nondum pervenerit? Affirmamus. 25 Rescripta Gratiæ, seu ad Beneficia, non expirant morte concedentis, etiam re integra, quando continent gratiam factam. 26 Secus dicendum, si *contineant* gratiam faciendam. 27 Rescriptum Papale, & quæcunque gratia concessa sub clausula *Usque ad beneplacitum nostrum* per mortem concedentis ipso facto expirat. 28 Rescriptum Gratiosum, sive gratia concessa sub clausula *Usque ad beneplacitum Sedis Apostolicæ*, vel *Donec revocavero*, durat perpetuò, nisi à concedente, vel successore ipsius revocetur. 29 Nec expirat morte concedentis.

CONCLUSIO VII.

AD TEXT. IN CAP. *Cùm consuetudinis* 9. ET CAP. FINAL. *de Consuetudine*, lib. 1. Decret. tit. 4.

1 CONSUETUDO usurpata pro facto sæpius repetito definitur: *Legitima frequentia operandi liberè eodem modo.* 2 Consuetudo verò sumpta pro jure orto ex consuetudine usurpata pro facto sic definienda est: *Jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cùm deficit lex.* 3. Consuetudo dividitur in eam, quæ est secundùm legem, præter legem, & contra legem. 4 Nequit induci à particularibus personis. 5 Ad consuetudinem inducendam contra legem non requiritur bona fides. 6 Consuetudo, quæ vim legis habet, debet esse rationabilis, & legitimè præscripta. 7 Irrationabilis est consuetudo, quæ juri naturali, aut Divino adversatur, aut à Jure Canonico reprobatur, vel peccandi licentiam, seu occasionem præbet, aut bono communi perniciosa est. 8 Prudentis Judicis arbitrio relinquendum est, num hæc, vel illa consuetudo sit rationabilis, necnè. 9 In dubio præsumitur consuetudo rationabilis, ac bono communi expediens. 10 Lex derogatoria consuetudinis sub clausula, *Nulla*

obstan-

obstante consuetudine, tollit consuetudines præsentes, non futuras; ideoque nihil obstat, adversus talem legem induci consuetudinem de novo. 11 Ad inducendam consuetudinem *Via conniventiæ*, id est, Principe sciente, ac tolerante, cùm facilè posset resistere introductioni consuetudinis contrariæ, eamque prohibendo subditos cogere ad observantiam legis, probabilius est, non requiri determinatum tempus. 12 Ad consuetudinē contra legem Civilem via præscriptionis inducendam requiritur, & sufficit decennium. 13 Sufficit etiam decennium ad inducendam consuetudinem contra Jus Canonicum, aut Constitutiones Ecclesiasticas. 14 Omnis, ac sola communitas, quę potest gubernari legibus scriptis, potest legalem pro se consuetudinem introducere. 15 Actus inductivi consuetudinis necessariò debent esse externi, ac publici per usum iteratum, & actuum frequentiam. 16 Debent actus inductivi consuetudinis esse plenè voluntarii, non metu, aut dolo obtenti. 17 Consuetudo debet esse non interrupta. 18 Consuetudo jam completa non revocatur per unicum actum contrarium. 19 Ut consuetudo vim legis habeat, vel antiquam abroget, requiritur consensus legislatoris. 20 Sufficit consensus legalis: non requiritur consensus ullus personalis, tam in consuetudine Civili, quàm Canonica. 21 Potest consuetudo abrogare legem imponentem pœnam ipso facto. 22 Item potest consuetudo abrogare legem quoad culpam, non abrogando legem quoad pœnam. 23 Lex irritans potest per consuetudinem contrariam abrogari. 24 Lex purè prohibitiva, vel revocatoria consuetudinis contrariæ potest abrogari per subsequentem consuetudinem. 25 Secus dicendum de lege consuetudinis reprobativa. 26 Consuetudo legitimè completa potest abrogari, seu tolli per aliam consuetudinem sibi contrariam.

CONCLUSIO VIII.

AD TEXT. IN CAP. *Ad hæc 1. de Postulatione Prælatorum*, lib. 1. Decret. tit. 5.

1 POSTULATIO Prælatorum est *Alicujus Personæ ad Prælaturam, seu dignitatem Ecclesiasticam erga superiorem directa petitio, ut eam dispensativè admittere velit.* 2 Dividitur in solemnem, & simplicem. 3 Postulatio solemnis, postquam admissa est à Superiore, vim habet electionis confirmatæ, ita ut postulatus omne jus consequatur, perinde, ac si fuisset electus, & confirmatus. 4 Postulatio ante admissionem nullum jus tribuit postulato. 5 Postulatio non solemnis potest cum solemni aliquando concurrere. 6 Illi solum postulari possunt solemniter, qui ob impedimentum Canonicum non possunt eligi. 7 Episcopus tantùm electus potest eligi ad aliam Ecclesiam, si nihil aliud obstet, esto in electionem consenserit. 8 Episcopus unius Ecclesiæ, si confirmatus est, esto nondū consecratus, ad aliam Ecclesiam, seu Episcopatum eligi non potest; sed debet postulari. 9 Idem dicendum de Cardinali Episcopo. 10 Si verò Cardinalis sit Presbyter, aut Diaconus, etiam postulari debet; sed non solemniter. 11 Prælati Episcopo inferiores non debent postulari solemniter ad Episcopatus, aliasque Prælaturas. 12 Potestas postulandi competit omnibus, qui habent jus eligendi. 13 Postulantes possunt variare, seu recedere à Postulatione, antequam Postulatio subscriptionibus postulantium munita, & Superiori præsentata sit; non autem postea. 14 Electio tamen post publicatum scrutinium revocari nequit ab eligentibus. 15 Postulatio simplex debet dirigi ad eum superiorē, cui Postulatus immediatè subest. 16 Si Postulatio fiat solemniter, institui debet ad eum, à quo fieri deberet confirmatio, si præcessisset legitima electio, modò super impedimento, quod postulatus habet, potestatem habeat dispensandi. 17 Si Postulatio, vel omnium, vel saltem duarum Capituli partium suffragiis, ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ facta sit, tenetur Superior ad eam admittendam ex debito officii; non tamen ex obligatione Justitię strictè sumptæ. 18 In Postulatione solemni, secluso speciali Jure, observari debet forma electioni præscripta, quoad ea, quæ istius naturę non adversantur. 19 Si autem quæras: an eadem persona simul eligi, & postulari possit? Negativam sententiam amplectimur. 20 Postulatio non prævalet electioni, quando cum illa concurrit, nisi suffragia postulantium duplo plura sint, quàm eligentium. 21 Qui scienter postulant aliquem, qui ob vitium, vel defectum indispensabilem postulari nequit, pro ea vice ipso jure, & facto privati sunt potestate postulandi. 22 Eandem pœnam incurrunt casu, quo Postulationem personæ indignæ à superiore cassatam, & reprobatam renovant, aut repetunt.

CONCLUSIO IX.

AD TEXT. IN CAP. *Nullus 1.* CUM ALIIS, *de Electione, & Electi potestate*, lib. 1. Decret. tit. 6.

1 ELECTIO strictè, seu propriè accepta definiri solet: *Personæ idoneæ ad Ecclesiæ vacantis dignitatem Pastoralem per vota Capitularium, & aliorum, quibus jus eligendi competit, canonicè facta vocatio.* 2 Jus eligendi, sive electio Prælatorum de Jure Communi spectat ad Capitulum, Collegium, seu Communitatem, cujus Prælatus est eligendus. 3 Potest tamen jus eligendi acquiri Clericis extraneis ex privilegio Papali, aut ex consuetudine. 4 Per nullam, etiam immemorialis temporis, consu-

etudinem poteſt laicis acquiri jus eligendi Prælatum Eccleſiaſticum. 5 Canonicus ad Ordinem Sacrum promotus ante electionem,ad ſuffragium in hac ferendum admitti debet. 6 Qui ante legitimam ætatem ex diſpenſatione Apoſtolica Sacro Ordine initiatus eſt, cenſetur habilitatus ad dandum ſuffragium. 7 Electio Canonica, & acceptata, ante confirmationem ſuperioris non tribuit jus in re, ſed tantum jus ad rem reſpectu Prælaturæ. 8 Electis ante obtentam confirmationem prohibita eſt adminiſtratio Prælaturæ. 9 Nec valet conſuetudo adminiſtrandi ante confirmationem. 10 Electus, ſi ante obtentam confirmationem ſe adminiſtrationi immiſcere præſumpſerit, privatur jure ex electione ſibi quæſito. 11 Dantur tamen aliqui caſus,in quibus electus poteſt adminiſtrare ante obtentam confirmationem. 12 Forma electionis eſt triplex,nempe forma Scrutinii,Compromiſſi, & Inſpirationis. 13 Electus ad clamorem populi non debet per Superiorem confirmari. 14 Ut electio per viam Compromiſſi locum habeat, requiritur conſenſus omnium vocalium. 15 Compromittentes tenentur recipere electum à Compromiſſariis, dummodo ſervata fuerit forma Compromiſſi,ſimulque idoneum elegerint. 16 Quando Compromiſſarius eligit idoneum, ſed is conſentire renuit, jus eligendi revertitur ad Compromittentes. 17 Si ſint plures Compromiſſarii, poſſunt eligere unum ex ſe ipſis, etiamſi id in Compromiſſo non ſit expreſſum, dummodo non fuerit expreſſè prohibitum. 18 Ad electionem celebrandam convocari debent omnes jus eligendi habentes. 19 Certum eſt,ad Prælaturas, aliaque beneficia Eccleſiaſtica, non niſi dignos,atque idoneos eſſe eligendos, ſeu promovendos. 20 Invalida eſt, atque ipſo Jure irrita electio indigni. 21 Si fiat electio digni, prætermiſſo digniori, valida eſt in foro interno, & externo, nec reſcindi poteſt. 22 Electores tenentur, quàm citiùs commodè poſſint, electionem præſentare electo, ejuſque conſenſum requirere. 23 Summus Pontifex eligi poteſt, vel per Inſpirationem, vel per Compromiſſum, vel per Scrutinium. 24 Cardinales in Conclavi præſentes non poſſunt unanimiter convenire in eo, quòd valeat electio Summi Pontificis per Scrutinium celebrata, in quam maior ſolùm ſuffragantium pars conſenſerit. 25 Electus in Summum Pontificem poteſt adminiſtrare ante coronationem.

CONCLUSIO X.

AD TEXT. IN CAP. *Inter corporalia* 2. ET CAP. *Quanto* 3. *de Translatione Epiſcopi*, lib. 1. Decret. tit. 7.



1 CERTUM eſt, inter Epiſcopum, ejuſque Eccleſiam dari verum conjugium ſpirituale, quod per electionem inchoatum, per confirmationem ratum, per conſecrationem verò conſummatum, ſive perfectum cenſetur. 2 Vinculum matrimonii ſpiritualis, quo Epiſcopus ſuæ Eccleſiæ obligatur, eſt de jure Divino indiſſolubile. 3 Tranſlatio Epiſcoporum ſola authoritate Romani Pontificis fieri poteſt. 4 Epiſcopus propria authoritate ad aliam Eccleſiam tranſiens priorem Eccleſiam non amittit ipſo jure, & facto, ſed in pœnam temeritatis ea per ſententiam Judicis condemnatoriam eſt privandus. 5 Quod intelligendum eſt, non ſolùm de Epiſcopo conſecrato, ſed etiam de electo confirmato, licèt nondum ſit conſecratus. 6 Epiſcopus Religionem ingrediens abſque Summi Pontificis licentia graviter peccat. 7 Utrùm verò profeſſio ſic facta valida ſit? Affirmandum. 8 Parochus, & quilibet alius Beneficiatus poteſt, contradicente Epiſcopo, Religionem ingredi. 9 Electus in Epiſcopum ante confirmationem poteſt renuntiare abſque Papæ licentia. 10 Tranſlatio Epiſcopi regulariter fit à minore ad maiorem Eccleſiam. 11 Tranſlatio Epiſcopi canonicè facta diſſolvit fœdus conjugii ſpiritualis, quod eſt inter Epiſcopum tranſlatum, & priorem ſuam Eccleſiam. 12 Epiſcopus ab una ad aliam Eccleſiam tranſlatus contrahit novum ſpirituale conjugium cum Eccleſia, ad quam transfertur. 13 Epiſcopus confirmatus, & nondum conſecratus non poteſt transferri invitus. 14 Si Epiſcopus jam conſecratus nolit conſentire tranſlationi per Pontificem factæ, non poteſt invitus alligari alteri Eccleſiæ. 15 Cogi tamen poteſt per cenſuras, ut conſentiat, & ex nolente fiat volens, id exigente, vel neceſſitate, vel utilitate Eccleſiæ. 16 Quando Epiſcopus transfertur ſciens,& volens, illico vacat prior Epiſcopatus à die tranſlationis factę in Curiâ,ſeu Conſiſtorio Papæ. 17 Si transfertur Epiſcopus abſens, & ignorans, ſtatim incipit vacare prior Eccleſia poſt ſcientiam, & conſenſum à tranſlato præſtitum, niſi ſecus exprimatur. 18 Tranſlatio Prælatorum Epiſcopo inferiorum, ſi ſint exempti, ſolùm poteſt fieri authoritate Papæ. 19 Si autem Prælati non ſint exempti, transferri poſſunt authoritate proximi ſuperioris, ſeu proprii Epiſcopi. 20 Quodſi Eccleſia, ad quam fit tranſlatio, ſita ſit in aliena Diœceſi, neceſſarius erit conſenſus utriuſque Epiſcopi. 21 Si quæras: Utrùm Capitulum, Sede vacante, poſſit facere tranſlationes Prælatorum, quas facere poterat jure ordinario Epiſcopus? Affirmat communis, & probabilior ſententia.

CON-

CONCLUSIO XI.

AD TEXT. IN CAP. *Cum super* 1. CAP. *Ad hoc* 2. CAP. *Nisi specialis* 3. CUM ALIIS, *de Authoritate, & usu Pallii*, lib. 1. Decret. tit. 8.

1 PALLIUM est præcipuum insigne, & ornamentum Archiepiscoporum, ac Superiorum Episcoporum, ut sunt Primates, Patriarchæ, ac ipsemet Papa. 2 Dicam, cur Pallium dicatur sumptum de corpore Beati Petri. 3 Pallium à solo Romano Pontifice confertur 4 Archiepiscopus non sortitur nomen Archiepiscopi, licèt sit consecratus ante Pallii receptionem. 5 Plenitudo Pontificalis, sive Archiepiscopalis Officii transfertur per Pallium. 6 Hęc plenitudo consistit in eo, quòd Archiepiscopus post Pallium acceptum exercere possit omnes actus, qui sunt jurisdictionis, & Ordinis. 7 Solus Romanus Pontifex in omnibus Missarum solemniis semper, & ubique Pallio utitur. 8 Archiepiscopi, & alii Pallii usum habentes, secluso speciali privilegio, eo uti possunt in solis Ecclesiis. 9 Quamvis Archiepiscopus Pallio uti possit intra omnes Ecclesias suæ Provincię; non tamen potest eodem uti extra Missarum solemnia. 10 Secluso speciali privilegio, debet Archiepiscopus celebrare absque Pallio Missam pro defunctis, quoties pro his incruentum Deo sacrificium offerre satagit. 11 Archiepiscopus extra suam Provinciam Pallio uti non potest. 12 Nulla consuetudine, etiam immemoriali, induci potest, ut Archiepiscopus extra suam Provinciam gestet Pallium. 13 Ex speciali tamen privilegio Sedis Apostolicæ potest concedi Archiepiscopo, ut extra Provinciam suam Pallio uti possit. 14 Si Archiepiscopus velit uti hoc privilegio, necessarius est consensus Ordinarii illius loci, & Metropolitani illius Provinciæ. 15 Utrùm verò possit Archiepiscopus Pallio uti, & in Pontificalibus celebrare in loco exempto, hujus proprio Rectore invito? Affirmantibus subscribimus. 16 Non potest Archiepiscopus commodare Pallium suum alteri Archiepiscopo, licèt illum possit invitare ad celebrandum in sua Diœcesi. 17 Si Archiepiscopus à sua Metropolitana Ecclesia per Summum Pontificem transferatur ad aliam, non potest in hac posteriori Ecclesia uti eodem Pallio, quo in priori usus est; sed debet obtinere novum Pallium. 18 In dicto casu translationis Archiepiscopi Successor translati nequit uti Pallio Prædecessoris sui. 19 Unde translatus Archiepiscopus illud secum transferre debet, & cum eodem sepeliri. 20 Ita tamen, ut ultimo Pallio induatur corpus ejus, & primum supponatur capiti ipsius, vel super corpus ejus ponatur.

CONCLUSIO XII.

AD TEXT. IN CAP. *Nisi cum pridem* 10. CUM ALIIS, *de Renuntiatione*, lib. 1. Decret. tit. 9.

1 RENUNTIATIO definitur: *Spontanea beneficii Ecclesiastici dimissio à legitimo superiore acceptata.* 2 Dividitur in expressam verbo, vel scripto factam, & tacitam, quæ fit per aliquem actum ad renuntiandum accommodatum. 3 Valida est renuntiatio beneficii extorta metu gravi injustè incusso, quamvis sit rescindenda. 4 Renuntiatio dolo extorta valida est ipso jure, nisi dolus versetur circa substantiam ejusdem, quamvis ad instantiam renuntiantis, si hic dolum probaverit, sit rescindenda. 5 Summus Pontifex potest renuntiare Papatui absque consensu Cardinalium. 6 Utrùm verò saltem virtute renuntiationis possit Episcopus suam Ecclesiam propria authoritate dimittere? Negativè resolvimus. 7 Facta renuntiatione pura, & à superiore admissa, non est locus pœnitentiæ; sed resignans potest compelli, etiam invitus, ad dimittendam possessionem beneficii. 8 Potest nihilominus is, qui beneficium resignavit, redire ad idem beneficium ex novo titulo superveniente. 9 Clericus nequit resignare beneficium, nisi aliunde habeat, unde sustentetur. 10 Beneficium litigiosum, lite pendente, non potest alteri resignari. 11 Potest tamen quis simpliciter cedere beneficio litigioso, aut liti renuntiare. 12 Invalida est resignatio beneficii, quo quis ob aliquod crimen ipso jure privatus est. 13 Si autem quæras: An criminosus possit alteri resignare beneficium suum, quando ob crimen non est privatus ipso jure, sed solum privandus per sententiam? Respondemus affirmativè. 14 Resignatio, quomodocunque sit nulla, seu invalida, non abdicat à resignante jus respectu beneficii. 15 Similiter non abdicatur jus beneficii per resignationem simoniacam. 16 Nihilominus simoniacè resignans beneficium in pœnam tanti criminis potest eodem per Judicem privari. 17 Post resignationem à superiore admissam, & perfectam, Clericus resignans nequit ulteriùs percipere fructus beneficii resignati. 18 Et, si secus attentaverit, tenetur ad restitutionem. 19 Spectato Jure communi, fructus pendentes beneficii non pertinent ad resignantem, neque pro rata temporis sunt dividendi; sed debent in utilitatem Ecclesiæ expendi, aut futuro successori asservari. 20 In praxi oportet attendere ad locorum specialem consuetudinem. 21 Nomine fructuum solùm intelliguntur illi, qui supersunt, deductis expensis. 22 Unde, quando beneficiarius resignat, vel etiam moritur, postquam agros sui beneficii jam aravit, licèt fructus nasciturі solo

cedant, ſicque ſucceſſori debeantur; tamen pretia ſeminis, atque impenſarum à ſucceſſore repeti poſſunt, ac ſolvi debent.

CONCLUSIO XIII.

AD TEXT. IN CAP. *Subdiaconus* 1. CAP. *Sane* 2. CAP. *De eo* 3. CUM ALIIS, *de Temporibus Ordinationum, & Qualitate Ordinandorum*, lib. 1. Decret. tit. 11.

1 ORDO ſic bene definitur: *Sacramentum, quo ſpecialis poteſtas traditur in ordine ad Euchariſtiam.* 2 Septem communiter enumerantur Ordines, ſcilicet Oſtiariatus, Lectoratus, Exorciſtatus, Acolytatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus. 3 Dicuntur, & ſunt poſteriores Sacri, & Maiores; priores verò dicuntur, & ſunt Minores. 4 Non ſolùm Ordines Maiores, ſed etiam Minores ſunt Sacramentũ novæ legis. 5 Gravis controverſia eſt inter Theologos, & Canoniſtas: Utrùm prima Tonſura ſit Ordo? Reſolvimus tamen cum Theologis, propriè non eſſe Ordinem, ſed præparationẽ ad Ordines. 6 Epiſcopatus eſt Ordo diſtinctus à ſimplici Sacerdotio. 7 Materia remota Ordinis eſt inſtrumentũ illud, quod traditur ordinandis in ſignum poteſtatis ſpiritualis, quam recipiunt. 8 Materia proxima eſt traditio inſtrumenti facta ab ordinante, ejuſdemque acceptatio facta ab ordinato. 9 Prima Tonſura quovis die, hora, & loco honeſto, etiam extra Miſſarum ſolemnia, conferri poteſt. 10 Ordines Minores conferri poſſunt non ſolùm in generalibus ordinationibus, ſed etiam quovis die Dominico, aut Feſto; imo & extra Miſſarum ſolemnia; ſed in mane tantùm. 11 Nulli Epiſcopo, præterquam Romano Pontifici, licet conferre Maiores Ordines, niſi in Sabbatis quatuor Temporum, aut Sabbato Sancto, vel Sabbato Dominicam Paſſionis præcedente. 12 Ex privilegio Papali poteſt quis ordinari extra Tempora. 13 Epiſcopus conſecrari debet, & poteſt quovis die Dominico, vel in Natalitiis Apoſtolorum, vel etiam in alio Feſto, ſi Sũmus Pontifex hoc ſpecialiter indulſerit. 14 In receptione Ordinum Maiorum ſervanda ſunt interſtitia unius integri anni. 15 Annus integer, qui inter unum, & alium Sacrum Ordinem percurrere debet, non eſt mathematicè computandus. 16 Ordinatus, qui non expectat temporum interſtitia, peccat mortaliter, ſi id abſque licentia Epiſcopi faciat. 17 Utrùm verò ſuſpenſionem aliquam, aut irregularitatem incurrat? Negativam ſententiam amplectimur. 18 Interveniente neceſſitate, vel utilitate Eccleſiæ, poteſt Epiſcopus diſpenſare cum ſuis ſubditis in interſtitiis. 19 Ordinarius Miniſter Ordinis eſt ſolùm Epiſcopus conſecratus, & non ſufficit, quòd ſit electus, vel tantùm confirmatus. 20 Nec, diſpenſante Pontifice, poteſt fœmina primam Tonſuram accipere. 21 Sunt nihilominus capaces Ordinis hermaphroditi, ſi ſexus virilis prævaleat. 22 Puer ante uſum rationis Ordine Sacro initiatus nulla ratione adſtringitur ad continentiam. 23 Hinc infertur, poſſe hunc liberè ad matrimonium tranſire, ſi nolit in ſtatu Eccleſiaſtico permanere. 24 Quæres: An ſaltem lege continentiæ ligetur puer, qui habens plenum uſum rationis ante pubertatem Sacros Ordines ſponte ſuſcepit, ſciens onus caſtitatis illis eſſe annexum? Probabilior mihi videtur ſententia affirmativa.

CONCLUSIO XIV.

AD TEXT. IN CAP. *De Servorum* 2. ET CAP. *Nullus* 4. *de Servis non ordinandis, & eorum manumiſſione*, lib. 1. Decret. tit. 18.

1 SERVI, ſeu mancipia, quandiu durat in eis defectus libertatis, irregulares ſunt. 2 Ordinariè requiritur expreſſa domini licentia, ut ſervus licitè ordinetur. 3 Licèt ordinariè deſideretur expreſſus dominorum conſenſus ad ordinationem ſervorum; poteſt nihilominus etiam tacitus eorundem conſenſus ſufficere. 4 Et tunc eo ipſo ſervus acquirit libertatem. 5 Quod intelligendum eſt, ſive promotus fuerit ad Ordinem Sacrum, ſive ad Minores, vel ad primam Tonſuram tantùm. 6 Si ſervus, domino ignorante, vel ſciente, & contradicente, ad Ordines Minores promotus fuerit, adhuc manet ſervus, & graviter peccat. 7 Graviter etiam peccat Epiſcopus ordinans, ſi ſcienter, & mala fide ordinet. 8 Idem dicendum de illis, qui cooperati ſunt mala fide ad ejus ordinationem. 9 Si ſervus, ignorante, vel, contradicente domino, promotus fuerit ad Sacros Ordines ab Epiſcopo ſciente ejus conditionem ſervilem, permanet quidem in Officio Clericali, atque efficitur liber; & Epiſcopus ſcienter ordinans tenetur domino dare duos ſervos æquè bonos, vel eorũ æſtimationem. 10 Non tenetur tamen Epiſcopus ad hanc ſolutionem faciendam ante ſententiam declaratoriam delicti. 11 Quod ſi bona fide proceſſerit Epiſcopus, tenentur illi ad hanc ſatisfactionem præſtandam domino, qui cooperati ſunt ad ſervi ordinationẽ. 12 Si verò Epiſcopus ordinans, & alii, qui cooperati ſunt, ignari erant ſervitutis, & omnes bona fide proceſſerunt; tenetur ipſe ſervus ordinatus ad duplicatam recompenſationem faciendam domino, vel ſaltem ad ſubſtituendum alium ſervum æqualem. 13 Si ſatisfactionem ipſe præſtare nequiverit, & in Subdiaconatum, vel Diaconatum tantùm ordinatus fuerit, redigitur in ſervitutem, & domino ſervire tenetur in omnibus, quæ talem ſta-

statum non dedecent. 14 Si verò dominus intra annum, postquam intellexit, servum esse ordinatum, dissimulet, non amplius auditur; sed servus ita ordinatus ex interpretatione juris manumissus censebitur. 15 Si hujusmodi servus taliter jam sit promotus ad Sacerdotium, non potest revocari in servitutem ob reverentiam Ordinis Sacerdotalis, etiamsi domino integrè satisfacere nequeat. 16 Cogendus tamen est amittere peculium, si quod habet, illudque cedere domino. 17 Quodsi peculium non habeat, serviet domino ita exigenti in spiritualibus, sacrificia, & Horas Canonicas pro domino offerendo, nullo stipendio recepto. 18 Et, si non fecerit, deponi, & degradari debet. 19 Servi adscriptitii, & originarii non possunt ad Ordines promoveri absque voluntate dominorum. 20 Aliter dicendum de famulis conductitiis. 21 Filiusfamilias sine licentia patris ad Ordines Sacros promoveri potest. 22 Decet tamen, ut consensum patris requirat.

CONCLUSIO XV.

AD TEXT. IN CAP. *Super eo* 2. CUM ALIIS, *de Bigamis non ordinandis*, lib. 1. Decret. tit. 21.

1 BIGAMIA, ex qua inducitur irregularitas, triplex est, vera, interpretativa, & similitudinaria. 2 Hæc irregularitas non provenit à jure Divino, sed à jure Ecclesiastico. 3 Bigamia vera, seu propriè dicta est, cùm quis successivè cum duabus uxoribus matrimonium contraxit, & consummavit. 4 Contrahitur autem hæc bigamia, vel plures ductę sint uxores ante Baptismum, vel post Baptismum, dummodo utrunque matrimonium fuerit consummatum. 5 Incurrit bigamiam interpretativam, atque adeo fit irregularis, qui contrahit duo matrimonia, quamvis unum sit validum, & aliud invalidum, etiam ex defectu consensus. 6 Non excusatur ab hac bigamia, qui duo matrimonia invalida contraxit, ex quocunque capite invalida fuerint, dummodo utrumque consummaverit. 7 Qui ducit viduam, quæ cum alio consummavit matrimonium, vel mulierem ab alio corruptam, contrahit irregularitatem bigamiæ interpretativæ. 8 Utrùm verò excusetur ab hac irregularitate, qui eum corrupta contraxit bona fide, quam putabat virginem? Probabilior est resolutio negativa. 9 Item non excusatur, qui ob impedimentum dirimens contraxit matrimonium nullum cum vidua, vel ab alio corruptâ. 10 Quæres: Utrùm fiat irregularis, qui ducit fœminam, quam ipse corruperat ante matrimonium? Negativæ resolutioni adhæremus. 11 Ob hanc bigamiam interpretativam fit irregularis vir cognoscens uxorem, postquam adulterata est. 12 Idem asserimus, etiamsi per vim mulier ab alio corrupta fuerit. 13 Incurrit etiam hanc irregularitatem vir, qui ignorans adulterium uxoris cum ea copulam habuit, quamvis adulterium sit occultum. 14 Idem dicendum, si vir post adulterium uxoris cogatur per censuras ad reddendum debitum; quia non satis probatum est adulterium. 15 Religiosus post emissam professionem matrimonium contrahens, quamvis nullum, incurrit irregularitatem ex bigamia similitudinaria. 16 Quod intelligendum est, etiamsi semel tantùm cum virgine contrahat. 17 An autem hæc irregularitas contrahatur à Clerico in Sacris constituto, qui postea contraxit matrimonium, illudque consummavit? Affirmativæ sententię subscribimus. 18 Si autem contingat, quòd laicus cum moniali professa contrahat matrimonium, non incurritur hęc irregularitas. 19 Per sola sponsalia cum pluribus inita non inducitur bigamia, quamvis subsecuta sit copula sine affectu maritali. 20 Idem censeo, si quis post prima sponsalia, quibus accessit copula, aliam ducat, & cum illa consummet matrimonium. 21 Similiter non fit bigamus, & irregularis, qui cum pluribus, etiam viduis, & maritatis, adulteratus fuit.

CONCLUSIO XVI.

AD TEXT. IN CAP. *Ad audientiam* 1. CAP. *Provideas* 2. CAP. *Ad hæc* 3. CUM ALIIS, *de Officio Vicarii*, lib. 1. Decret. tit. 28.

1 VICARIUS generalis dicitur ille, qui vices alterius gerit, sive in officio contentioso, sive non contentioso. 2 Spectato Jure Canonico, Vicarii primariò, ac principaliter dividuntur in eos, qui serviunt in Divinis, & in Vicarios jurisdictionis. 3 Vicarii in Divinis dicuntur, qui in Divinis ministeriis, & curâ animarum, sive iis, quæ ad forum internum conscientiæ pertinent, aliorum vices gerunt. 4 Alii sunt perpetui, alii temporales. 5 Institutio Vicarii perpetui pertinet ad Episcopum, sive Ordinarium loci. 6 Vicarius perpetuus acquirit jus in re, verumque titulum in Beneficio. 7 Non potest quis simul esse Vicarius perpetuus plurium, & diversarum Ecclesiarum. 8 Titulus Vicarii perpetui in Beneficio curato non est directus, sed utilis, sive est jus portionis ex annuis redditibus sibi assignatę ob spirituale ministerium capiendæ. 9 Vicarius perpetuus, etiam præsente Rectore principali, potest administrare Parochiam in Divinis. 10 Vicarius temporalis nullum acquirit jus, & titulum in Beneficio, in quo Vicarius constitutus est. 11 Vicarius perpetuus non po-

test substituere sibi alium Vicarium perpetuum. 12 Rectore principali mortuo, non expirat officium Vicarii perpetui. 13 Vicarius jurisdictionis in genere est is, cui commissa est jurisdictio. 14 Vicarius Generalis constituit unum tribunal cum Episcopo. 15 Secus dicendum de Vicario Foraneo. 16 Episcopus, etiam absque consensu capituli, potest constituere Vicarium Generalem. 17 Potest etiam binos Vicarios Generales æquè principales, seu in solidum constituere, quo faciliùs negotia expediantur. 18 Episcopus nequit eligere laicum in Vicarium Generalem. 19 Probabilior, & Sacris Canonibus conformior est sententia, quæ asserit, Vicarium Generalem Episcopi habere jurisdictionem ordinariam, non delegatam. 20 Vicarius Generalis ad libitum Episcopi potest revocari. 21 Officium, ac jurisdictio Vicarii Generalis cessat per mortem, depositionem, renuntiationem, aut translationem Episcopi. 22 Si jurisdictio Episcopi fuerit suspensa, seu impedita per excommunicationem, suspensionem, aut interdictum, etiam suspenditur, ac impeditur jurisdictio sui Vicarii Generalis. 23 Vicarius Romani Pontificis habet jurisdictionem in Urbe, non extra illam, nisi specialiter ei concedatur. 24 Capitulum, Sede Episcopali vacante, tenetur hodie infra octo dies post mortem Episcopi Vicarium idoneum constituere, vel existentem confirmare. 25 Si secus factum fuerit, ejus deputatio devolvitur ad Metropolitanum. 26 Vicarius Capitularis non necessariò est eligendus de gremio ipsius Capituli. 27 Si tamen idoneus aliquis adsit, cęteris paribus, extraneo præferendus est. 28 Factâ semel electione Vicarii, non potest Capitulum illum ad libitum revocare, & novum constituere. 29 Jurisdictio Vicarii Capitularis expirat, postquam novus Episcopus confirmatus fuit, & possessionem Episcopatûs accepit.

CONCLUSIO XVII.

AD TEXT. IN CAP. *Si pro debilitate* 3. CAP. *Super quæstionum* 27. CAP. *Pastoralis* 28. CUM ALIIS, *de Officio, & Potestate Judicis Delegati*, lib. 1. Decret. tit. 29.

1 JUDEX Delegatus ille censendus est, cui jurisdictio non jure officii sui, aut habita ratione ad illud, sed ex speciali tantùm commissione competit. 2 Judicum Delegatorum variæ sunt species, seu divisiones, quas quęrenti dabimus. 3 In casibus, in quibus Jus commune concedit Episcopis facultatem procedendi adversus Exemptos, potestas hæc, & jurisdictio solummodo delegata dicitur. 4 Judex Ordinarius potest regulariter causam ad se pertinentem alteri delegare. 5 Non potest tamen totam suam jurisdictionem, inconsulto Principe, alteri delegare. 6 Delegatus à Papa, vel alio supremo Principe potest alteri causam subdelegare. 7 Excipe, si à Principe sit electa industria Personæ Delegati. 8 Delegatus ab inferiore Judice Ordinario non habet potestatem subdelegandi, nisi in certis casibus. 9 Illi omnes possunt esse Judices Delegati, qui nec natura, nec lege, nec moribus prohibentur. 10 Minores viginti annis possunt esse Judices Delegati, si decimum octavum annum excesserint. 11 Potest delegari non subditus. 12 Delegandus à Papa, vel subdelegandus debet esse constitutus in aliqua dignitate Ecclesiastica, vel obtinere Personatum, aut Canonicatum Ecclesiæ Cathedralis. 13 Episcopus non necessariò tenetur delegare constitutum in Dignitate, Personatu, aut Canonicatu Cathedrali. 14 Episcopi, aliique Prælati Papâ inferiores non possunt laico delegare causam aliquam spiritualem, vel criminalem Clericorum. 15 Et probabiliùs nec causam horum civilem, seu temporalem. 16 Regulariter delegari possunt omnes illæ causæ, quæ ad ordinariam delegantis jurisdictionem pertinent. 17 Etiam illa delegari possunt, quæ pertinent ad potestatem Ordinis, dummodo is, cui fit delegatio, habeat Ordinem competentem. 18 Judex Delegatus non debet procedere ante rescriptum delegationis sibi præsentatum. 19 Hinc sequitur, processum antea factum irritum esse, ita ut non convalescat, secuta præsentatione rescripti delegationis. 20 Quod verum est, etiamsi, antequam processum inchoaverit, privatim sciat, sibi causam delegatam esse. 21 Judex Ordinarius tenetur sententiam delegati Apostolici ad ejus mandatum exequi, potestque ab eo ad hoc compelli. 22 Quod intelligendum est, licèt Ordinarius sciat, sententiam Delegati esse injustam. 23 Secus dicendum, quando Ordinarius scit, sententiam esse invalidam, & nullam. 24 Controversia est: Utrùm Delegatus à Judice Ordinario possit exequi sententiam à se latam? Probabilior mihi videtur sententia affirmativa. 25 Morte Delegati finitur ejus officium, & jurisdictio, nec transit ad successorem, si delegatio facta fuit personalis. 26 Secus dicendum, quando delegatio facta est Dignitati. 27 Si Judex Delegatus interloquendo pronuntiet, sibi nullam jurisdictionem, seu potestatem in causa delegata competere, finitur omnis ejus jurisdictio, licèt hanc re vera habuisset. 28 Quod procedit, si pars litigans ab hac ejus sententia interlocutoria non appellaverit. 29 Finitur etiam officium, & potestas Judicis Delegati morte ejus, qui vi rescripti conveniendus erat coram Delegato.

CONCLUSIO XVIII.

AD TEXT. IN CAP. *Ex literis* 1. ET CAP. *Judicis* 2. ET FIN. *de Officio Judicis*, lib. 1. Decret. tit. 32.

1 JUDEX definitur: *Persona legitima, quæ publicam potestatem habet cognoscendi de litigantium controversiis, & secundùm præscripta legum, locorumque consuetudinem de eisdem judicandi.* 2 Omnes, qui vel naturâ, vel lege non prohibentur, possunt esse Judices. 3 Jurisdictio sic bene definitur: *Est potestas alicujus authoritatem, & eminentiam habentis super alios ex munere publico ad eorum regimen, & gubernationem.* 4 Jurisdictio ordinaria non expirat morte concedentis, etsi res adhuc integra sit. 5 Officium Judicis sic aptè definitur: *Munus publicum cognoscendi, & definiendi res in judicio postulatas.* 6 Duplex est: Nobile, & Mercenarium. 7 Imploratio Officii Judicis est remedium extraordinarium. 8 Quando Officium Judicis imploratur adversus personam incertam, non habet locum contestatio litis. 9 Secus dicendum, quando Officium Judicis imploratur principaliter adversus certam personam. 10 Certum est, quòd Judex regulariter teneatur judicare secundùm allegata, & probata. 11 Judex non potest condemnare reum, quem privata scientia scit certò nocentem esse, si ille de crimine nondum convictus, vel in Judicio spontè confessus fuit. 12 Item debet probare media omnia, omnemque diligentiam adhibere ad liberandum reum illum, quem privatâ scientiâ scit esse innocentē. 13 Si aliter declinare condemnationem innocentis nequeat, tenetur potiùs cedere officio suo, quàm sententiam in innocentem ferre in causis criminalibus gravioribus, quæ respiciunt pœnam mortis, vel mutilationis. 14 Potest tamen secundùm allegata, & probata contra propriam scientiam ferre sententiam in civilibus, & causis criminalibus minoribus. 15 Judex non potest judicare secundùm sententiam minus probabilem, relicta probabiliori. 16 Non obstante æquali probabilitate opinionum utriusque partis litigantium, nullatenus licitum est Judici pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio. 17 In causis criminalibus favere debet reo, cui adsistit opinio probabilis. 18 In causis civilibus, si, omnibus attentis, opiniones sint æquè probabiles, & litigantes nolint se componere, debet rem inter eos dividere. 19 Si deficiat graviter in suo munere ex ignorantia vincibili, tenebitur ad restituenda damna parti læsæ. 20 Ad Officium Judicis, etiam delegati, pertinet providere parti litiganti idoneum Advocatum, si talem non habeat. 21 Talis Advocatus potest esse domesticus, sive familiaris Judicis. 22 Advocatus ille non tenetur præstare gratis officium suum. 23 Quod tamen intelligendum est, dummodò clientulus non sit adeo pauper, ut salarium erogare nequeat.

CONCLUSIO XIX.

AD TEXT. IN CAP. *Antigonus* 1. ET CAP. *Qualiter* 3. *de Pactis*, lib. 1. Decret. tit. 35.

1 PACTUM definitur ab Ulpiano leg. 1. ff. *de Pactis* in hunc modum: *Duorum, pluriumve in idem placitum consensus.* 2 Pactum differt à simplici pollicitatione. 3 Pollicitatio, antequam acceptetur, regulariter nullam inducit obligationem, etiam naturalem; sed pro libito promittentis revocari potest. 4 Promissio præsenti, & tacenti facta non eo ipso censetur tacitè acceptata. 5 Præcipua inter omnes Pacti divisio est in nudum, & vestitum. 6 Vestitur autem pactum primò, si illi adjiciatur juramentum. 7 Secundò speciali assistentia Juris. 8 Tertiò, si ex aliqua parte impleatur. 9 Quartò, si pactum in continenti, & non ex intervallo, adjiciatur alteri contractui nominato, vel pacto vestito. 10 Quintò, si accedat stipulatio. 11 Sextò, si pactum fiat in judicio. 12 Septimò, si transeat in contractum specificum. 13 Ex pacto, etiam nudo, oritur obligatio in conscientia. 14 De rigore Juris Civilis non datur actio ex pacto nudo, sed solùm exceptio. 15 Celebris controversia est: Utrùm saltem, spectato Jure Canonico, detur actio ex pacto nudo? Probabilior mihi videtur sententia affirmativa. 16 Contractus (quæ præcipua est Pactorum species) definitur: *Pactum, ex quo ultrò, citròque oritur obligatio.* 17 Non valet contractus, nisi fiat cum plena deliberatione, qualis requiritur ad peccandum mortaliter. 18 Ad valorem contractûs non sufficit purus consensus externus sine consensu interno. 19 Item non sufficit solus consensus internus sine aliquâ externa manifestatione. 20 Ignorans naturam contractus non potest validè contrahere, si habeat animum contrahendi cum voluntate expressa non se obligandi. 21 Qui contrahit cum animo se obligandi, non tamen adimplendi contractum, validè contrahit. 22 Error circa substantiam rei, de qua fit contractus, vitiat ipsum contractum, eumque reddit omnino nullum, sive error sit vincibilis, & crassus, sive invincibilis, sive causetur ab altero contrahentium, sive ab alio quocunque. 23 Error circa qualitatem, sive det causam contractui, sive non det, nullo jure annullat contractum. 24 Dolus circa substantiam contractûs, sive det, sive non det causam contractui, semper irritat contractum. 25 Dolus in qualitate commissus ab aliquo tertio, sive sit

ante-

antecedens, sive comitans, neque jure naturali, neque Civili annullat contractum. 26 Tertius dans causam contractui per dolum tenetur in conscientia resarcire damnum per deceptionem illatum. 27 Dolus in qualitate, qui dat causam contractui, & committitur ab altero ex contrahentibus, non irritat contractùm jure naturali, aut Civili, à quo tantùm venit irritandus. 28 Contractus onerosi, & lucrativi metu gravi injustè incusso extorti validi sunt jure naturæ. 29 Tales contractus etiam validi sunt jure positivo, quando jus ipsum aliter non disponit. 30 Contractus metu gravi injustè initi sunt ipso jure rescindibiles. 31 Contractus metu levi injustè incusso initi nec sunt irriti, nec ipso jure veniunt irritandi. 32 Idem asserimus, quando metus gravis est justè incussus. 33 Contractus de re illicita est nullus. 34 Non eo ipso, quòd contractus sit prohibitus, est irritus.

CONCLUSIO XX.

AD TEXT. IN CAP. *Cùm dilectus 6. de iis, quæ vi, metusve causa fiunt,* lib. 1. Decret. tit. 40.

1 METUS definitur: *Instantis periculi, vel futuri causâ mentis trepidatio.* 2 Alius dicitur cadere in virum constantem, alius in inconstantem. 3 Metus mortis cadit in virum constantem. 4 Idem dicendum de metu mutilationis, & gravis corporis cruciatûs. 5 Metus excommunicationis justæ non cadit in virum constantem; maximè verò metus excommunicationis injustę. 6 Idem censeo de infamia gravi, & quæ non facilè vitari potest, sive sit infamia facti, sive juris. 7 Metus reverentialis, si sumatur præcisè pro illo pudore, quem subditus pati timet, si neget petita à superiore, non cadit in virum constantem. 8 Secus dicendum, si tali metui adjungantur minæ, aut alius metus gravis. 9 Preces importunæ, & sæpius repetitæ, si sumantur solitariè, non causant metum viri constantis, maximè verò, si conjungantur, vel cum timore reverentiali, vel cum minis, vel alio simili malo. 10 Ad metum viri constantis non requiritur, quòd malum timeatur in propria metuentis persona; sed sufficit, quòd timeatur in consanguineis, & affinibus ex matrimonio. 11 Hæc tamen affinitas, sicut consanguinitas, debet esse intra quartum gradum. 12 Item ad metum viri constantis sufficit, quòd malum timeatur in persona tibi arctissimâ amicitiâ conjunctâ. 13 Gravitas metûs sumenda est respectivè ad personas metum patientes. 14 Quæ fiunt ex metu, sunt simul voluntaria, & involuntaria. 15 Non sunt tamen æquè voluntaria, & æquè involuntaria; sed voluntaria simpliciter, & involuntaria secundùm quid. 16 Aliquando fieri potest, ut aliquis metus non causet involuntarium. 17 Facta cum metu nec secundùm quid sunt involuntaria. 18 In eo, qui operatur cum metu potente conducere ad operationem, metus ille neque auget, neque minuit voluntarium. 19 In eo, qui operatur cum metu ex natura sua retrahente ab operatione, metus ille regulariter facit, ut actus non evadat cum tanta intensione, quantam haberet, si fieret sine metu. 20 Metus gravis injustè incussus regulariter excusat ab observatione legis Divinæ positivę, & ab observatione legis humanæ, sive Ecclesiasticæ, sive Civilis. 21 Potest etiam metus gravis, & injustus excusare ab observatione legis naturalis, si non sit de objecto intrinsecè malo, quod nullatenus cohonestari possit.

CONCLUSIO XXI.

AD REG. *Peccatum non dimittitur, & c. 4. de Reg. Juris* in 6.

1 RESTITUTIO definitur: *Actus Justitiæ commutativæ, quo alteri redditur ad æqualitatem, quod ab eo injustè ablatum est.* 2 Ex sola violatione Justitiæ commutativæ oritur obligatio restituendi. 3 Scienti, & consentienti voluntate absoluta, & efficaciter cessiva juris, nulla fit injuria. 4 Aliter dicendum, si consentiat voluntate inefficaci, vel inhabilitata ad cedendum jure suo. 5 Præceptum restitutionis primariò, & principaliter est affirmativum: secundariò verò, & minus principaliter est negativum. 6 Restitutio non est necessaria necessitate medii ad salutem. 7 Maximè verò necessitate præcepti. 8 Qui per plures acceptiones leves damnificat graviter proximum, tenetur sub gravi ad restituendum, dummodo advertat in ultimo furto, se per illud pervenire ad materiam gravem, suppositis aliis furtulis. 9 In ultimo furtulo, per quod completur quantitas gravis, peccatur mortaliter. 10 Si, postquam aliquis per levia furta pervenit ad summam gravem, restituat partem illam ultimam minimam, per quam summa effecta est gravis, liberatur a restituendo sub mortali alias partes. 11 Quando furtula fiunt in bonis diversorum ex industria, & animo ditescendi, etiam peccatur mortaliter in furtulo complente materiam gravem, & datur obligatio gravis restituendi. 12 Non peccat mortaliter, nec tenetur ad restitutionem sub gravi, qui facit leve furtum, licèt advertat ab aliis plura furta fuisse eidem domino facta, ex quibus resultat summa illa gravis, dummodo non sit causa moralis, ut alii furentur. 13 Extremè indigens nequit licitè usurpare rem alienam, inscio domino, antequam rem ab eo petat, nisi in casu, quo certò sciat, suam petitionem non esse profuturam. 14 Extremè indigens non potest surripere rem ab eo, qui

per

per ablationem talis rei manebit in extremâ neceſſitate. 15 Etiam non poteſt ſurripere rem alienam ab eo, qui non habet, niſi præcitè neceſſaria ad ſuſtentandum ſuum decentem ſtatum. 16 Obligatio ſubveniendi extremè indigentibus non eſt ex juſtitia, ſed ſolùm ex charitate. 17 Poteſt indigens in gravi neceſſitate bonorum, quę natura voluit eſſe omnibus communia, aliena ſurripere, ut ſibi provideat, quando aliter non poteſt. 18 Quando neceſſitas gravis eſt ſolùm in ordine ad alia bona, quæ natura non voluit, nec intendit omnibus eſſe communia, licitum non eſt ſic indigenti aliena ſurripere propriâ authoritate. 19 Mandans, qui revocavit mandatum, tenetur ad reſtitutionem, ſi talis revocatio non innotuit mandatario. 20 Si mandatum ſerio revocetur à mandante, ab illoque intimetur, mandatarius verò exequatur damnum exiſtimans invincibiliter revocationem non fuiſſe ſeriam, adhuc mandans tenetur ad reſtitutionem. 21 Mandans tenetur reſtituere in eventu, quo mandatarius re vera accepit revocationem, eamque ſibi à mandante intimatam intellexit, ſed poſtea invincibiliter oblitus talis revocationis delictum patravit ex vi prioris mandati. 22 Qui ſuo conſilio movet alium ad inſerendum damnum, tenetur ad reſtitutionem. 23 Licitum eſt conſulere minus malum, ut evitetur maius, quod aliter vitari non poteſt.

CONCLUSIO XXII.

AD TEXT. IN CAP. *Siquis ſuadente* 29. cauſ. 17. quæſt. 4.

1 INJICIENTES manus violentas in Clericum, vel Monachum, innodantur excommunicatione contenta in dict. C. *Siquis ſuadente.* 2 Nomine *Clerici* in præſenti materia non ſolùm intelligitur, qui Sacros Ordines habet, ſed etiam, qui Minores Ordines ſuſcepit, aut primâ tantùm Tonſurâ initiatus fuit. 3 Clericus irregularis, ſuſpenſus, interdictus, ſeu excommunicatus, gaudet privilegio Canonis. 4 Idem aſſerendum de verbaliter degradato. 5 Secus de degradato realiter. 6 De Clerico conjugato eſt maior difficultas: aſſerimus tamen, privilegio non privari. 7 Privilegio Canonis privatur Clericus bigamus bigamia vera, & reali. 8 Etiam Clericus, qui ſine habitu, & tonſura ſe immiſcet enormitatibus. 9 Similiter Clericus in Minoribus, qui ſine habitu, & tonſura ſe immiſcet armis, aut negotiis ſęcularibus. 10 Præterea etiam Clericus, qui exercet artem joculatoriam, vel hiſtrionicam. 11 Hoc idem aſſerimus de Clerico, qui exercet officium lanionis, ſeu cauponis. 12 Qui ratam habet percuſſionem Clerici ſuo nomine factam, incurrit excommunicationem, licèt ad illam auxilium, mandatum, aut favorem non prębuerit. 13 Hanc excommunicationem non incurrit omittens defenſionem Clerici, ſi ſolùm ex charitate tenetur impedire, etiamſi in tali omiſſione lęthaliter peccet. 14 Secus dicendum de eo, qui ad hoc tenetur ex juſtitia. 15 Maius dubium eſt: Utrùm percutiens Clericum volentem, & conſentientem incurrat excommunicationem? Reſolutioni affirmativæ adhæremus: cum ea tamen ſtat veritas illius regulæ: *Scienti, & conſentienti non fit injuria, neque dolus.* 16 Ipſe Clericus, vel Monachus volens, & conſentiens in ſuam percuſſionem injurioſam non eſt excommunicatus, ſed excommunicandus. 17 Si Clericus, vel Monachus ex ira, deſperatione, tædio vitæ, ſe graviter percuteret, innodaretur excommunicatione Canonis. 18 Si percuſſio Clerici fiat vim vi repellendo cum moderamine inculpatæ tutelæ ad ſe ipſum defendendum, vel rem ſuam, aut proprium honorem, excuſat ab excommunicatione. 19 Percutiens, aut occidens Clericum turpiter agentem cum matre, filia, uxore, aut ſorore ipſius percutientis, non incurrit excommunicationem, etiamſi pleno judicio, ac maturâ deliberatione id faciat. 20 Peccat tamen graviter percutiendo, vel occidendo propria authoritate. 21 Non excuſatur ab excommunicatione, ſi percuſſio non fiat in continenti.

CONCLUSIO XXIII.

AD TEXT. IN CAP. *Clerici* 8. ET CAP. *Qualiter, & quando* 17. *de Judiciis,* lib. 2. Decret. tit. 1.

1 CERTUM eſt, atque inter Catholicos indubitatum, perſonas Eccleſiaſticas exemptas eſſe à poteſtate laicali. 2 Hæc exemptio quoad cauſas ſpirituales eſt à jure Divino. 3 Quoad cauſas temporales, ſive civiles, ſive criminales, fundamentum habet in jure Divino, quamvis immediatè proveniat à jure poſitivo Pontificio. 4 Neque ipſe Summus Pontifex poteſt abſolutè tollere quoad omnes perſonas Eccleſiaſticas, omneſque earum cauſas hanc exemptionem. 5 Hoc privilegio fori gaudent omnes Regulares utriuſque ſexus, etiam Novitii. 6 Item Rector Xenodochii authoritate Epiſcopi erecti. 7 Pręterea etiam Religioſi Ordinum Militarium. 8 Nullus Clericorum in Minoribus fori privilegio gaudet, niſi beneficium Eccleſiaſticum habeat, aut Clericalem habitum, & tonſuram deferens alicui Eccleſiæ de mandato Epiſcopi inſerviat, aut in ſeminario Clericorum, aut in aliqua ſchola, vel univerſitate de licentia Epiſcopi, tanquam in via ad Maiores Ordines, verſetur. 9 Habens præſtimonium in titulum gaudet fori privilegio. 10 Item

habens

habens Capellaniam collativam. 11 Imo etiam habens pensionem. 12 Non requiritur ad privilegium fori possessio Beneficii. 13 Sufficit titulus, dum validus reputatur. 14 Clericus in Minoribus conjugatus gaudet privilegio fori in criminalibus, si habitum, & tonsuram deferat, & alicujus Ecclesiæ servitio sit ab Episcopo deputatus, & insuper cum virgine contraxerit. 15 Major controversia est: Utrùm uxores Clericorum gaudeant privilegio fori? Probabilius existimo, privilegium ad illas non ampliari. 16 Si res adhuc sit integra, non debet Clericus super rebus in statu laicali gestis coram alio, quàm Ecclesiastico Judice, conveniri. 17 Si Judex secularis prævênit citando laicum postea promotum ad Clericatum, vel Monachatum, potest is causam civilem prosequi, ac definitiva sententia terminare, ipsamque sententiam realiter exequi in bonis Clerici, non autem in hujus persona. 18 Si laicus post commissum crimen assumpsit statum Clericalem, vel Monachalem sine fraude, gaudet privilegio fori. 19 Si verò hunc statum in fraudem assumpsit, ut nimirum Judicis sæcularis forum declinaret, potest à Judice sæculari judicari, & puniri pœna pecuniaria, vel confiscatione bonorum, licèt non pœna corporali, donec fuerit degradatus, & traditus Curiæ sæculari. 20 Cum adest dubium, an aliqui gaudeant privilegio fori, sive dubium sit facti, sive juris, cognitio prędicti dubii pertinet ad solum Judicem Ecclesiasticum. 21 Clericus nequit renuntiare privilegio fori. 22 Nequit ulla consuetudine induci, aut cohonestari, ut Clerici coram Judice sæculari conveniantur, tam in civilibus, quàm in criminalibus.

CONCLUSIO XXIV.

Ad text. in cap. *Nullus Judicum* 2. et cap. *Si diligenti* 12. *de Foro competenti*, lib. 2. Decret. tit. 2.

1 LAICUS nec principaliter, nec incidenter potest cognoscere de causa spirituali. 2 Possunt tamen laici in causis spiritualibus adhiberi Assessores. 3 Cognitio causarum, quæ spiritualibus sunt connexæ, etiam spectat ad solum Judicem Ecclesiasticum. 4 Si Clericus cum laico delictum perpetret, conveniendus est à Judice Ecclesiastico, ab eoque puniendus; laicus autem à Judice seculari. 5 Per hoc tamen non negamus, quin laicus unà cum Clerico delinquens possit à Judice Ecclesiastico puniri, si hic in captura pręveniat. 6 Leges Civiles, & statuta sæcularia, quæ nominatim disponunt de Ecclesiis, personis, rebusque Ecclesiasticis, non habent vim obligandi, nisi approbentur ab Ecclesia. 7 Quod intelligendum est, etiamsi dispositio fiat in earundem commodum, & favorem. 8 Valent tamen privilegia per laicos Ecclesiis, & Ecclesiasticis concessa. 9 Leges Civiles, quæ aliquid præscribunt circa contractus, aliasque res profanas, extenduntur ad Clericos, si ipsis sint favorabiles. 10 Secus dicendum, si sint præjudiciales. 11 Clerici debent servare leges insertas in corpore Juris Civilis, quæ statuunt aliquid circa contractus, & modum succedendi ab intestato. 12 Quando Clericus agit contra laicum in foro Civili, & coram Judice seculari, debet servare leges talis fori. 13 Idem dicendum, si Clericus contrahat cum laico juxta formam statuti laicalis. 14 Item debet procedere juxta leges laicas, si velit sibi vindicare rem existentem apud laicum. 15 Si velit uti statuto laicali in sui favorem, debet illud etiam admittere contra se. 16 Insuper statutum laicale afficit Clericos, si eodem statuto ligabantur ante Clericatum, dummodo non prejudicet immunitati Ecclesiæ, aut favori Religionis. 17 Secus dicendum, si tale statutum incipiat obligare, postquam aliquis factus fuit Clericus. 18 Certum est, Ecclesiasticos immunes esse à quibuscunque oneribus impositis à laica potestate, vel super bona, vel super personas. 19 Ad eadem solvenda tenetur Clericus conjugatus. 20 Item, si spolietur privilegiis Clericatûs, ut accidit in actualiter degradato. 21 Onera imposita ob bonum publicum promovendum, vel ob arcendum publicum damnum, si æquè agatur de utilitate sæcularium, & Clericorum, ab istis etiam sunt subeunda. 22 Clericus negotiator non est immunis à gabellis, & tributis impositis super res negotiationi expositas. 23 Si fundus relinquatur Ecclesię sub conditione, quòd collectas, aut contributiones aliquas solvat certis personis, etiam laicis, debet eas solvere.

CONCLUSIO XXV.

Ad text. in cap. *Licet* 3. *de Feriis*, lib. 2. Decret. tit. 9.

1 PRÆCEPTUM observandi festa obligat sub mortali. 2 Hoc pręceptum, ut positivum, nullam aliam actionem imponit pręter Missę auditionem: ut negativum, prohibet omne opus servile. 3 Non satisfacit pręcepto de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, vel plures simul à diversis celebrantibus audit. 4 Utrùm verò satisfiat præcepto, si successivè à diversis celebrantibus audiantur duæ dimidietates Missæ? Affirmamus. 5 Etsi intentioni audiendi Missam adjungatur vana gloria, adhuc per talem auditionem satisfieri potest præcepto. 6 Ex vi hujus præcepti nemo tenetur plures Missas audire, etiam in die Natalitii Domini, licèt in eo die tres dicantur. 7 Fideles audientes Missam in Oratoriis privatis ab Ordinario approbatis satisfaciunt præcepto Ecclesiæ. 8 Episcopus non potest censuris, mulctis, aliisque pœnis cogere fideles ad audiendam Missam in Parochia. 9 Qui Mis-

Missam audit in die Dominica immemor obligationis præcepti, & existimans non esse diem Dominicam, satisfacit, & nun tenetur aliam audire. 10 Siquis positiva, & contraria voluntate, quâ nolit audire Sacrum, & satisfacere præcepto, in Ecclesia omnino vinctus teneatur, ut Missam audiat, nô satisfacit præcepto. 11 Dubium præcipuum est: Utrùm satisfaciat præcepto ille, qui vult Missam audire, quamvis positivam habeat intentionem non satisfaciendi, & non audiendi aliam? Placet sententia affirmativa. 12 Qui privilegium habent ad audiendam Missam tempore interdicti, tenentur eam audire; ita ut mortaliter peccent, si non audiant. 13 Siquis habeat Oratorium privatum domi, in quo possit audire Sacrum, si sit infirmus, vel ibi incarceratus, non tenetur quærere Sacerdotem, & illi stipendium dare, ut Missam audiat. 14 Opus pingendi est servile ex genere suo, & prohibitum in diebus festis, sive pretio, sive liberaliter fiat. 15 Imo etiam causâ pietatis, vel Religionis per se non licet, nisi aliqua justa causa interveniat. 16 Licitum est iter agere die festo, sive pedibus, sive equo fiat. 17 Licitum etiam est die festo scribere, & transcribere ob lucrum. 18 Una hora operis servilis non videtur materia gravis, præsertim, si opus nimis laboriosum non sit. 19 Illud est in præsenti opus servile, quod cômoditati corporis inservit, & à servis regulariter fieri solet. 20 Liberale opus immediatè refertur ad instruendam mentem propriam, vel alienam. 21 Charitas excusat laborantem die festo pro paupere, cui ratione gravis necessitatis tunc liceret laborare. 22 Non peccat mortaliter herus, seu dominus, qui præcipit, ut plures famuli successivè laborent in die festo, sed singuli per modicum tempus.

CONCLUSIO XXVI.

AD TEXT. IN CAP. *Si verò* 8. CAP. *Verùm* 15. ET CAP. *Cùm contingat* 28. *de Jurejurando*, lib. 2. Decret. tit. 24.

1 JURAMENTUM definitur: *Invocatio Divini nominis ad fidem faciendam, vel promissionem firmandam.* 2 Celeberrima illius divisio est in Assertorium, & Promissorium. 3 In juramento Assertorio defectus veritatis in quacunque materia, etiam minima, est peccatum mortale. 4 Grave dissidium est: An peccet graviter non adimplens promissionem de re levi juramento confirmatam? Communior est sententia negativa. 5 Juramentum, si debito modo fiat, est actus virtutis. 6 Juramentum factum per falsos Deos non est propriè, & verè juramentum. 7 Peccat tamen gravissimè, qui similia juramenta efficit per falsos Deos, si seriò juret. 8 Non licet sub mortali juramentum amphibologicum absque rationabili causâ; cum illa tamen licitum est, dummodo eum restrictione pui è mentali non sit. 9 Unde mentitur, & est perjurus, qui ad mentem Judicis legitimam non respondet. 10 Casu tamen, quòd crimen sit capitale, vel aliud æquivalens, reus non tenetur in conscientia ad mentem Judicis respondere cum semiplena probatione interrogantis. 11 Nulla existente legitima causa, illicitum est, & grave peccatum exigere juramentum ab eo, qui pejeraturus est, vel per falsos Deos juraturus. 12 Si justa, & honesta causa habeatur, licitum erit tale juramentum exigere. 13 Juramentum metu gravi extortum obligatorium est jure Ecclesiastico, & naturali, dummodo absque animæ dispendio possit servari. 14 Contractus juri naturali, aut Divino contrarii, vel versantes circa materiam illicitam non possunt juramento confirmari. 15 Probabilior sententia docet, juramentû ultra vim obligandi ad servandam veritatem rei juratæ, habere etiam aliquando ex Jure Communi vim confirmandi contractus, quibus adjicitur, jure Civili, & Canonico irritos. 16 Quando ex promissione jurata nulla nascitur obligatio respectu hominis, cui fit promissio, sed tantùm respectu Dei, tunc juramentum non firmat contractum, sed vocatur *Per se stans.* 17 Non omnis contractus Jure positivo irritus, apposito juramento, confirmatur. 18 Contractus juramento confirmatus non solùm obligat, sed etiam confert actionem in judicio adversus jurantem. 19 Quando juramentum non confirmat contractum, impletur momentanea solutione, ita ut statim possit jurans solutum repetere. 20 Si verò juramentum sit confirmatorium contractûs, vel promissionis, non amplius licet repetere, quod solutum est, sed irrevocabiliter servandum est. 21 Quando juramentum confirmat contractum, transit obligatio illius ad hæredes utriusque contrahentis. 22 Secus dicendum, si contractus ipse per juramentum non confirmaretur.

CONCLUSIO XXVII.

AD TEXT. IN CAP. *Meminimus* 9. CAP. *Pervênit* 13. ET CAP. *Pastoralis* 53. *de Appellationibus*, &c. lib. 2. Decret. tit. 28.

1 APPELLATIO definitur: *Ab inferiore ad superiorem Judicem facta provocatio ratione gravaminis illati, vel inferendi.* 2 Dividitur in Judicialem, & Extrajudicialem. 3 Plures enumerantur causæ, ob quas remedium Appellationis est introductum. 4 Regulariter possunt appellare omnes, qui gravamen aliquod extra, vel intra Judicium patiuntur, aut se passuros timent. 5 Effectus Appellationis duplex est: suspensivus, & devolutivus. 6 Appellatio non semper operatur utrumque effectum.

ctum. 7 Jurisdictio Judicis *à quo* solùm suspenditur in ea causa, in qua est appellatum. 8 Judex, à quo in una causa est appellatum, non idcirco, tanquam suspectus, recusari potest etiam quoad alias, nisi notoria sit injustitia sententiæ ab eo latæ. 9 Non admittitur Appellatio à sententia, qua crimen confessus, & convictus condemnatur ad pœnam lege definitam. 10 Si vero pœna à lege statuta non sit, sed ipse Judex pœnam decernat, & modum excedat, appellari poterit. 11 Item appellari potest à declaratione pœnæ Jure latæ. 12 Spectato Jure Communi, etiam in causis minimis, admitti debet Appellatio. 13 Secus dicendum in causis, ac delictis notoriis. 14 Excipe, nisi in Appellatione exprimatur legitima causa, per quam delictum notorium aliquo modo defendatur. 15 Summus Pontifex, vel Princeps supremus alicui causam delegando potest inhibere, ne ab ipso delegato appelletur. 16 Solùm Summus Pontifex, vel alius supremus Princeps, qui superiorem non cognoscit, potest causas aliis committere, vel Judices dare cum clausula: *Appellatione remota*. 17 Posita clausula: *Appellatione remota*, non est admittenda Appellatio in aliquo effectu, etiamsi pars justam, & rationabilem causam gravaminis exprimat, nisi appellatio specialiter sit expressa, & permissa à Jure. 18 In Appellatione à sententia Interlocutoria debet appellans exprimere justam causam, seu gravamen. 19 Et, attento Jure Sexti, hæc exceptio debet fieri in scriptis. 20 In Appellatione tamen à sententia definitiva non est necessaria expressio causæ. 21 Idem censeo in Appellatione à sententia Interlocutoria habente vim definitivę. 22 Remota Appellatione, non censetur etiam remota recusatio. 23 Princeps supremus non potest recusari prætextu suspicionis. 24 Jure Canonico recusari potest Judex tam ordinarius, quàm delegatus, etiam Episcopus. 25 Imò totum Collegium recusari potest. 26 Jure etiam Civili recusari potest Judex delegatus, tanquam suspectus, nisi delegatio expressè facta sit à Principe cum clausula, *Remota recusatione*. 27 Utrùm verò Jure Civili recusari possit ob suspicionem Judex inferior ordinarius? Negativè resolvimus. 28 In praxi tamen observanda est Curiarum consuetudo.

CONCLUSIO XXVIII.

AD TEXT. IN CAP. *Clerici* 2. CUM SEQUENTIBUS, *de Vita*, *& Honestate Clericorum*, lib. 3. Decret. tit. 1.

1 D honestatem vitæ Clericorum inter alia pertinet, ut ipsi deferant habitum, & tonsuram suo statui congruentem. 2 Hujusmodi obligatio deferendi habitum, & tonsuram non solùm concernit Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, sed etiam Clericos inferiores, si Beneficium Ecclesiasticum habeant. 3 Clerici in Minoribus Ordinibus constituti, & Beneficium Ecclesiasticum nondum habentes, non tenentur ad deferendum habitum, & tonsuram Clericalem. 4 Si autem quæras: Quęnam sint pœnæ Clericorum non deferentium habitum, & tonsuram Clericalem? Interrogati dabimus. 5 Propter unicam dimissionem habitûs non incurrit Clericus hujusmodi pœnas. 6 Idem dicendum de Clerico, qui vestibus non Clericalibus utitur, dum transiturus est per loca infidelium, vel hæreticorum cū periculo vitæ, aut ob metum servitutis, verberum, vel alterius gravis incommodi. 7 Excusatur etiam Clericus, qui ratione paupertatis non potest deferre habitum proprio Ordini congruentem. 8 Similiter licitum est Clerico itineranti, vel peregrinanti habere vestes breviores. 9 Clericis Beneficiatis, aut in Sacris Ordinibus constitutis, etiam prohibitum est laxare comam. 10 Si Clericus monitus generaliter, vel specialiter, in relaxanda coma perseveret, potest excommunicari, nisi subsit justa causa comam nutriendi, seu relaxandi. 11 Potest excusari praxis Clericorum gestantium comam fictitiam, sive peruccam. 12 Item prohibitum est Clericis sub pœna excommunicationis arma gestare. 13 Hęc pœna excommunicationis non est latæ sententiæ, sed ferendæ, si Clerici sint sæculares. 14 Monachi tenentes arma intra septa Monasterii sine licentia Superioris ipso facto sunt excommunicati. 15 Ex justa tamen causa licitum est Clericis arma portare. 16 Clericus in Ordinibus Minoribus constitutus, si militiæ operam dederit, à Clericatu excluditur. 17 Plures dantur casus, in quibus Clerici absque amissione privilegii Clericalis possunt militare. 18 In materia favorabili nomen *Clericorum* non solùm comprehendit Sacris Ordinibus constitutos, & primâ Tonsurâ initiatos, sed etiam Monachos, & Moniales. 19 Appellatione tamen *Monachorum* non veniunt Clerici sæculares. 20 In materia odiosa nomine *Clericorum* soli inferiores Clerici sæculares comprehenduntur; non autem Episcopi, neque Canonici, aut alii in dignitate Ecclesiastica constituti, nisi secus exprimatur. 21 Insuper in materia odiosa nomine *Cleri* non comprehenduntur Religiosi utriusque sexus, nisi exprimantur, vel ex subjecta materia, aliisque circumstantiis secus appareat. 22 Item nomine *Clericorum* in favorabilibus veniunt Eremitæ, qui licèt non sint professi alicujus Religionis, tamen de manu Episcopi receperunt habitum Eremiticum, atque sub ejus obedientia vivunt deputati pro servitio alicujus Ecclesiæ, vel Oratorii. 23 Secus dicendum de Eremitis, qui sine authoritate Prælati Ecclesiastici voluntariè deferunt habitum Eremiticum.

CON-

CONCLUSIO XXIX.

AD TEXT. IN CAP. *Siqui* 1. CAP. *Quod à te* 3. ET CAP. *Diverſis* 5. *de Clericis conjugatis*, lib. 3. Decret. tit. 3.

1 CLERICUS in Minoribus Ordinibus conſtitutus poteſt validè, ac licitè matrimonium contrahere. 2 Quod intelligendum eſt, etiamſi is, qui Ordines Minores ſuſcipit, eos ſuſcipiat exiſtimans ipſis annexum eſſe votum ſolemne continentiæ. 3 Contracto matrimonio, ad Beneficia Eccleſiaſtica obtinenda fit incapax, & priùs obtenta amittit, ita ut eidem non proſit regula *de triennali poſſeſſione*. 4 Utrùm verò hujuſmodi Beneficia ipſo Jure, & facto amittantur, etiam ante aliam Judicis ſententiam? Affirmantibus adhæremus. 5 Vacatio iſta Beneficiorum ipſo Jure inducta non ſolùm procedit in matrimonio conſummato, ſed etiam in rato tantùm; non autem in ſponſalibus de futuro. 6 Hujuſmodi Clericus non recuperat Beneficium ſic amiſſum, licèt ante conſummatum matrimonium uxor ſit mortua, vel Religionem ingreſſa. 7 Inſuper amittuntur per matrimonium validum acceſſus, regreſſus, & quælibet alia jura ad Beneficium Eccleſiaſticum ipſi contrahenti competentia. 8 Clericus valido matrimonio copulatus peccat mortaliter, ſi retineat Beneficium. 9 Poſſunt ejus Beneficia, tanquam vacantia, impetrari, & alteri conſerri. 10 Si retineat Beneficium, tenetur fructus reſtituere. 11 Nec poteſt illud reſignare in favorem alterius. 12 Per contractum matrimonii irritum non amittuntur Beneficia ipſo Jure, quomodocunque, & ex quacunque cauſa ſit irritum. 13 Clericus in Sacris Ordinibus conſtitutus nec licitè, nec validè matrimonium contrahere poteſt. 14 Neque Clericis Græcis in Sacro Ordine conſtitutis unquam licuit, aut de facto licet matrimonium contrahere, ſed ſolùm antea contracto uti. 15 Obligatio ad continentiam, & vitam cœlibem apud Clericos in Sacris conſtitutos, non refunditur in Jus Divinum. 16 Datur lex Eccleſiaſtica obligans ordinatos in Sacris à matrimonio contrahendo abſtinere, vel ab uſu jam contracti, quæ eſt conſentanea, & non contraria juri Divino. 17 Clerici, qui in Subdiaconatu, & aliis ſuperioribus Ordinibus uxores accepiſſe noſcuntur, ad dimittendas illas, & pœnitentiam de ſcelere commiſſo agendam per ſuſpenſionis, & excommunicationis ſententiam compellendi ſunt. 18 Imo facto ipſo excommunicationem incurrunt. 19 Ab hac tamen excommunicatione abſolvi poſſunt ab Epiſcopo. 20 Inſuper hujuſmodi Clerici matrimonium contrahentes nec in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare, nec ad altiores aſcendere poſſunt. 21 Probabilius eſt, Clericum in Sacris conſtitutum, ſi matrimonium invalidè contrahat, non privari ipſo Jure Beneficiis ſuis.

CONCLUSIO XXX.

AD TEXT. IN CAP. *Ex geſtis* 2. CAP. *Quia nonnulli* 3. CAP. *Relatum* 4 ET CAP. *Conquerente* 6. *de Clericis non reſidentibus in Eccleſia, vel Præbenda*, lib. 3. Decret. tit. 4.

1 RESIDENTIA Clericalis definitur: *Manſio, ſeu commoratio aſſidua in Eccleſia, ſeu loco Beneficii, cauſa ſervitii Eccleſiaſtici perſonaliter præſtandi.* 2 Duplex eſt, alia Vera, & alia Ficta. 3 Jure Communi ſpectato, omnia Beneficia, etiam ſimplicia, poſtulant reſidentiam. 4 Ex generali tamen conſuetudine Beneficia ſimplicia eam non requirunt, niſi Fundator oppoſitum expreſſerit. 5 Epiſcopi, aliique Beneficiati curam animarum habentes tenentur ad reſidentiam perſonalem, non ſolùm de Jure Canonico, ſed etiam Jure Divino, & Naturali. 6 Beneficia non curata ſolùm Jure Eccleſiaſtico exigunt reſidentiâ. 7 Dantur aliqua Beneficia, quæ tantùm ad Horarum Canonicarum recitationem obligant, & non ad reſidentiam. 8 Reſidentia Epiſcoporum facienda eſt in loco, ubi eſt Eccleſia Cathedralis. 9 Epiſcopi, aliique Beneficiarii præcepto reſidentiæ non ſatisfaciunt ex eo, quòd corporaliter præſentes ſint in loco Beneficii, niſi etiam munera ratione officii ſibi incumbentia peragant. 10 Epiſcopus poteſt abeſſe per duos, vel tres menſes à ſua Eccleſia, dummodo non abſit in præcipuis ſolemnitatibus, non ſequatur damnum gregis, & abſentia unius anni non continuetur cum abſentia anni ſubſequentis. 11 Parochus non poteſt abeſſe à ſua Eccleſia per integram hebdomadam, niſi obtenta ad id Epiſcopi licentiâ. 12 Si abſit, etiam ſpatio duorum dierum, tenetur relinquere idoneum Vicarium. 13 De licentia Epiſcopi poteſt ex gravi cauſa per integrum bimeſtre abeſſe. 14 Non ſufficit licentia petita, niſi etiam fuerit obtenta, & in ſcriptis data. 15 Si tamen occurrat cauſa gravis, & neceſſaria ſubitò abſcedendi, quæ tantam celeritatem requirat, ut non patiatur dilationem, poteſt Parochus, relicto idoneo Vicario, diſcedere abſque præhabita licentia Ordinarii. 16 Cauſæ, quæ à reſidentia excuſare poſſunt, ſunt Charitas Chriſtiana, urgens neceſſitas, debita obedientia, & evidens Eccleſiæ, vel Reipublicæ utilitas. 17 Cauſa ſtudiorum non eſt ſufficiens, ut poſſit Epiſcopus concedere Parocho licentiam non reſidendi in propria Eccleſia. 18 Ex hujuſmodi cauſa poteſt abeſſe ad ſeptem annos Beneficiatus, qui non habet actualem curam animarum, & aliunde tenetur ad reſidendum, ſit adſit licentia Prælati; ſi non prætergreſ-

ſus

ſus fuerit annum trigeſimum, & det operam Theologiæ, vel Juri Canonico. 19 Canonici abeſſe poſſunt per tres menſes, ſive continuos, ſive interpolatos, dummodo eodem tempore maior pars non abſit, vel particulares Conſtitutiones Eccleſiæ id non prohibeant. 20 Pro eo tamen tempore non lucrantur diſtributiones quotidianas. 21 Poteſt Epiſcopus ob legitimam cauſam dare Canonicis ſuis licentiam, ut abeſſe valeant quatuor menſibus. 22 Canonici ex juſta cauſa abſentes non tenentur relinquere ſubſtitutum. 23 Poſſunt abeſſe pro inſerviendo Epiſcopo, quatenus Epiſcopus eſt.

CONCLUSIO XXXI.

AD TEXT. IN CAP. *Cum percuſſio* 1. CUM ALIIS, *de Clerico ægrotante, vel debilitato*, lib. 3. Decret. tit. 6.

1 NULLUS Clericus ob infirmitatem, ſenium, vel mutilationem, privari poteſt Beneficio, aut fructibus ejuſdem, quamvis officio ſuo ſupereſſe nequeat, ſed Coadjutor ei dandus eſt. 2 Beneficiatus, v. g. Capellanus infirmus ad breve tempus non videtur teneri ad ſuppletionem Miſſarum, quas eo tempore omiſit, niſi literæ Fundationis aliud expreſſè diſponant, vel ſpecialis Eccleſiæ conſtitutio, aut conſuetudo aliud exigat. 3 Epiſcopi, Clerici Curati, & ſimplices Beneficiati ad celebrationem certarum Miſſarum obligati, quamvis ob infirmitatem Beneficio privari non poſſint, tenentur tamen pati, ut eis conſtituatur Coadjutor, vel Vicarius, quando eorum infirmitas eſt incurabilis, & perpetua. 4 Secus dicendum, ſi infirmitas ſit ſolùm temporalis. 5 Ad cedendum tamen Beneficio non poſſunt cogi, etiam ob morbum perpetuum. 6 Quod intelligendum eſt non ſolùm de Epiſcopis, ſed etiam de aliis Beneficiatis. 7 Coadjutoria eſt *Facultas alicui conceſſa adjuvandi Beneficiatum in Beneficii regimine*. 8 Duplex eſt, alia perpetua, ſeu data cum jure ſuccedendi in Beneficio; alia temporalis, ſeu data ſine tali jure ſuccedendi. 9 Prælatus, ſeu Parochus Coadjutus propter conſtitutum ſibi Coadjutorem non excuſatur à reſidentia. 10 Nec etiam ab ea liberatur Coadjutor propter reſidentiam Coadjuti. 11 Fructus Beneficii, in quo Coadjuto datus eſt Coadjutor, debentur Coadjuto, & quidem omnes, quos, ſi ſanus eſſet, percipere potuiſſet, dempta portione, ex qua ali Coadjutor debet. 12 In caſu, quo utrique alendo redditus Beneficii non ſufficiant, præferendus Coadjutori eſt Coadjutus. 13 Coadjutor perpetuus, ſeu cum futura ſucceſſione ſolùm à Summo Pontifice dari poteſt. 14 Item ad ſolum Papam pertinet dare Epiſcopis Coadjutorem, etiam temporalem. 15 Nihilominus Epiſcopi à Curia Romana remoti, & ob ſenium, vel corporalem invaletudinem adminiſtrationis incapaces, poſſunt authoritate Pontificia, cum conſilio, & conſenſu ſui Capituli, vel maioris partis ejuſdem, aſſumere ſibi unum, vel duos Coadjutores ad exequendum dictum officium. 16 Si Epiſcopus incidat in amentiam, poteſt Capitulum, vel duæ ipſius partes, eâdem authoritate Pontificia unum, vel duos Coadjutores idoneos aſſumere Epiſcopo amenti, qui ejus officium exequantur. 17 Plures Coadjutores duobus nequit Epiſcopus infirmus ſibi aſſumere, nec Capitulum Epiſcopi dementi dare. 18 Epiſcopus compos rationis non poteſt à Capitulo cogi, ut ſibi Coadjutorem aſſumat. 19 Coadjutoris temporalis officium expirat morte Coadjuti, ſive naturali, ſive civili, nempe depoſitione, vel reſignatione ejuſdem. 20 Item, quando ceſſat impedimentum Coadjuti. 21 Coadjutor datus cum futura ſucceſſione ſubintrat in locum Coadjuti poſt hujus mortem.

CONCLUSIO XXXII.

AD TEXT. IN CAP. *Placuit* 1. *de Emptione, & Venditione*, lib. 3. Decret. tit. 17.

1 EMPTIO-VENDITIO ſic bene definitur: *Contractus Juris gentium, nominatus, bonæ fidei, initus conſenſu, quo de re, ſeu merce pro certo pretio pecuniario, & de pretio pro re tradendo convenitur*. 2 Ad valorem, & perfectionem venditionis requiritur certum, & determinatum pretium. 3 Unde non eſt valida hæc venditio: *Vendo tibi hanc rem tanti, quanti volueris*. 4 Imò neque hæc: *Vendo tibi hanc rem juſto pretio, quo æſtimatum fuerit valere*. 5 Sufficienter pretium determinatur, ſi vendam eo pretio, quod eſt in arca. 6 Item, ſi vendam pro pretio, quo frumentum tali die, vel tali foro vendi ſolet. 7 Pretium duplex eſt, legale, & naturale. 8 Legale eſt illud, quod taxatur pro aliqua merce ab habente poteſtatem, & ſolet conſiſtere in indiviſibili. 9 Pretium naturale eſt illud, quod ſtatuitur prudenti hominum judicio. 10 Dividitur in infimum, medium, & ſupremum, ſeu rigoroſum. 11 Licitum eſt vendere, vel emere intra latitudinem talis pretii. 12 Vendenti pretio infimo non eſt licitum ſe compenſare contra emptorem uſque ad ſupremum rigoroſum. 13 Res, quæ non habent pretium legale, vel naturale, ut gemmæ peregrinę, aves ex India, &c. non poſſunt vendi, quanti domini velint. 14 Juſtum pretium rerum, quæ venduntur ſub haſta, eſt illud, quod offertur à licitatoribus. 15 Oportet tamen fraudes abeſſe. 16 In nullo foro externo conceditur actio contra lædentes in pretio, niſi læſio ſit ultra dimidium. 17 Nihilominus in foro interno lædens

dens iofra dimidium justi pretii ad restitutionem tenetur. 18 Pretium legale semper servandum est, nisi ex ignorantia, vel alia causa fuerit injustè taxatum. 19 Ratione lucri cessantis, vel damni emergentis potest pretium augeri, si præcisè ex vi factæ venditionis lucrum cesset, & damnum emergat. 20 Venditor debet monere emptorem de pretii augmento propter lucrum cessans, & damnum emergens. 21 Item in determinando augmento pretii debent deduci expensæ, quæ faciendæ erant pro conservanda merce usque ad tempus, quo plus erat valitura. 22 Insuper, si periculum erat, ut eo tempore iotermedio periret, vel deterior fieret, deducendum est, quanti æstimari potest tale periculum. 23 Augeri potest pretium ob magnum affectum venditoris ad rem, quam vendit, si de hoc moneat emptorem; non verò ob utilitatem emptori ex re empta provenientem. 24 Penuria mercium, & multitudo emptorum dat justam causam pretium augendi. 25 Præcisè ob dilatam solutionem non licet exigere aliquid supra pretium rigorosum. 26 Si merces ultroneè offerantur emptori, licitum est minuere pretium, dummodo concurrat aliqua circunstantia, ratione cujus vilescant. 27 Ob anticipatam solutionem non licet pretium diminuere, nisi in emptore adsit lucrum cessans, vel damoum emergens, vel periculum non habendæ mercis, vel habendæ minus bonæ.

CONCLUSIO XXXIII.

AD TEXT. IN CAP. *Si venditori 7.* & FIN. eodem tit.

1 SI venditor mala fide rem alienam vendidit, non potest eam defendere contra dominum instantem pro restitutione. 2 Venditor, postquam res fuit evicta, tenetur restituere totum pretium, si tota fuit evicta; & partem pretii, si fuit evicta pars. 3 Si solùm pars fuit evicta, non potest emptor agere ad rescissionem contractûs, nisi pars, quæ remaneret, vel esset inutilis, vel à parte evicta inseparabilis. 4 Venditor non solùm tenetur post evictionem pretium restituere, sed etiam præstare id, quod emptoris interest, rem non esse evictam. 5 Venditor rei alienæ non transfert dominium illius in emptorem. 6 Emens tamen propriis pecuniis transfert illarum dominium in venditorem. 7 Credita certa minoris emi possunt, si in emptore adsit lucrum cessans, aut damnum emergens. 8 Idem dicendum, si creditum, licèt liquidum, attamen sit periculosum, v.g. propter paupertatem debitoris. 9 Creditum certum nulla difficultate, ac molestia exigibile, quod nullatenus est periculosum, non potest minoris emi. 10 Siquis alicui vendat rem, quam alteri jam vendiderat, si res non est tradita secundo emptori, tenetur venditor priori tradere. 11 Si res tradita sit secundo emptori, hic antefertur primo, aliquibus casibus exceptis. 12 Quando vitium, quod reticetur in venditione, non est notabile, neque reddit rem minus utilem ad usum, ad quem res ipsa emitur, contractus non est invalidus, neque injustus. 13 Per se loquendo non tenetur venditor manifestare emptori vitium patens. 14 Quando veoditor vendit rem pretiosam, quæ communiter reputatur vilis, si emptor post emptionem inveniat esse pretiosam, non tenetur aliquid venditori restituere. 15 Emptor, qui restituit rem emptam venditori propter ootabile vitium occultum non manifestatum, tenetur restituere fructus rei emptæ medio tempore collectos, deductis expensis, & æstimatione induſtriæ. 16 Sciens pretium mercis brevi minuendum potest licitè vendere omnes suas merces pretio currenti. 17 Qui scit thesaurum latère in agro tuo, potest illum à te emere pretio communi, nihil dicendo de thesauro latente. 18 Injustum est monopolium, dum aliqui conveniunt de non vendendo, vel emendo, nisi tali pretio. 19 Qui non fuit causa monopolii, etiam non potest vendere merces suas juxta pretium, quod crevit ratione monopolii. 20 Qui impedit fraude, & dolo, ne merces asportentur in civitatem, ne viliùs cogatur ipse vendere, peccat contra justitiam commutativam. 21 Interveniente justa causa, licitum est ex publica authoritate monopolia exercere. 22 Vendere creditò pretio maiori cum pacto, ut emptor rem emptam revendat venditori pretio minori, est contractus Mohatra omnino illicitus. 23 Si non intercedat tale pactum, hujusmodi venditio potest cohonestari.

CONCLUSIO XXXIV.

AD TEXT. IN CAP. *Investigandum* 1. CUM ALIIS, *de Peculio Clericorum*, lib. 3. Decret. tit. 25.

1 BONA, quæ ad Clericos pertinent, alia sunt Patrimonialia, alia quasi Patrimonialia, alia merè Ecclesiastica. 2 Beneficiarius habet dominium absolutum bonorum suorum Patrimonialium. 3 Habet insuper dominium absolutum bonorum suorum quasi Patrimonialium. 4 Idem dicendum de distributionibus quotidianis. 5 Communis TT. & Canonistarum sententia tenet, Clericos Beneficiarios sæculares habere perfectum dominium redituum Beneficii sui, non solùm quoad partem, quæ ad congruam ipsorum sustentationem, & status decentiam conservandam necessaria est, sed etiam quoad eam, quæ redundat, & superflua est. 6 Beneficiarius liberè, & pro libito disponere potest de fructibus suæ

suæ congruæ sustentationi necessariis. 7 Non potest liberè, & pro libito disponere de portione fructuum, quæ superfluit; sed eam debet in pios usus erogare. 8 Graviter peccat Beneficiarius non expendens in pios usus hanc portionem superfluam. 9 Non tenetur tamen ad restitutionem, quamvis fructus, qui de congrua sustentatione supersunt, malè expendat. 10 Hæc obligatio expendendi superfluos redditus in causas pias nnn oritur ex virtute Charitatis. 11 Non oritur etiam ex virtute Religionis, aut Justitiæ. 12 Probabilius est, hanc obligationem descendere ex solo Jure positivo, & pręcepto Ecclesiæ, non verò naturali, & Divino. 13 Beneficiarius, qui expendit bona Patrimonialia, vel quasi Patrimonialia in utilitatem Ecclesiæ, vel Beneficii, aut alios pios usus, potest postea compensationem sibi facere ex redditibus beneficialibus sustentationi suę superfluis. 14 Quod intelligendum est, etiamsi non habuerit animum compensandi. 15 Imò, quamvis habuerit animum contrarium non compensandi. 16. Spectato Jure communi, non possunt Beneficiarii testari de bonis Ecclesiasticis superfluis, etiam ad causam piam. 17 Potest induci legitima consuetudo, vi cujus validè, & licitè testari valeant ad causas pias de præfatis bonis. 18 Celebris controversia est: An per consuetudinem, saltem immemorialem, induci possit, ut Beneficiarii de redditibus Ecclesiasticis superfluis liberè, ac licitè ad causas profanas testari possiot? Placet sententia affirmativa. 19 Beneficiarius, qui ex residuo expendendo in opera pia emit rem profanam, v. g. prædium, vel villam recreationis, non potest talem rem licitè retinere; sed debet, vel ipsam, vel ipsius pretium adhuc piè expendere. 20 Pensionarii non tenentur expendere in opera pia, quod de pensione superest ultra congruam sustentationem. 21 Certum est, Capellanias non collativas, sed amovibiles, non esse obnoxias piæ expensioni fructuum. 22 Difficultas est: Utrùm Capellania collativa, & inamovibilis sit obnoxia prædicto oneri? Negativæ resolutioni adhæremus. 23 Utrùm verò Prælatus, qui fuerit dominus temporalis alicujus Civitatis, ratione Prælaturæ teneatur expendere residuum in opera pia? Affirmamus.

CONCLUSIO XXXV.

AD TEXT. IN CAP. *Cùm esses 10. de Testamentis, & ultimis voluntatibus,* lib. 3. Decret. tit. 26.

1 TESTAMENTUM bene definitur: *Ultima voluntas cum directa hæredis institutione.* 2 Directa hæredis institutio est de substantia, ac essentia testamenti. 3 Celebrior illius divisio est in Scriptum, & Nuncupativum. 4 Testamentum gravi metu extortum validum est Jure naturali; non tamen positivo. 5 Non valet testamentum Nuncupativum factum cum relatione ad aliquam certam schedulam, vel chartam, in qua testator dicat coram testibus, se inscripsisse nomen hęredis revelandi post mortem. 6. Item non valet institutio hæredis, si hęc pendeat ab alterius arbitrio, ut si testator diceret *Instituo hæredem, quem Petrus nominabit.* 7 Testamenta debent confici cum solemnitatibus illius Regni, vel Reip. ubi ipsa fiunt, etiamsi exequenda sint in aliis Provinciis, ubi vigent aliæ leges, & solemnitates circa testamenta construenda. 8 Testamentum destitutum solemnitatibus à Jure præscriptis invalidum est in foro externo. 9 Non leve dissidium est: An testamenta minus solemnia sint etiam irrita in foro conscientię? Negativè respondemus. 10 Postquam Judex declaraverit nullum testamentum sine solemnitatibus, non potest, etiam quoad forum conscientiæ, retineri, quod habitū est ex testamento minus solemni. 11 Nnn tenetur aliquis necessariò conficere testamentum; sed licitè potest velle mori sine illo, ut succedant hęredes ab intestato, si sint benemeriti. 12 Si tamen moriens habeat debita, quæ post ejus obitum vel difficilè, vel non solventur; vel, si pręvideat, quòd erunt lites, & jurgia, & quòd nihil insumetur pro suffragiis animæ; tunc tenetur conficere testamentum. 13 Omnes illi, qui carent usu rationis, ab ipsa natura prohibentur facere testamentum. 14 Impubes redditur inhabilis ad testandum Jure Cæsareo, & Regio. 15 Neque ad valorem testamenti impuberis sufficit authoritas tutoris. 16 Item testamentum factum ab impubere non convalescit, etsi pubes moriatur. 17 Non requiritur, quòd tempus pubertatis sit completūm in tōto rigore, & de momento in momentum; sed sufficit, si dies ultimus sit inceptus. 18 Surdi, & muti simul à nativitate non possunt facere testamentum. 19 Si tales effecti sint in decursu vitæ, possunt testari, si per scripturam valcant exprimere suam voluntatem. 20 Filiusfamilias existens sub patria pntestate non potest testari, etiam cum consensu patris, de bonis profectitiis, vel adventitiis. 21 Quod etiam intelligendum est de iis bonis adventitiis, quorum usumfructum pater non habet. 22 De bonis castrensibus, vel quasi castrensibus testari potest filiusfamilias, si pubes sit. 23 Prodigi, quibus interdicta est administratio bonorum, prohibentur facere testamentum. 24 Extra controversiam est, Religiosos solemniter professos nec licitè, nec validè posse testari, etiam ad pias causas. 25 Idem dicendum de Coadjutoribus formatis Societatis JESU. 26 Secus verò de iis, qui post biennium Novitiatûs simplicia vota in eadem emiserunt, & Scholastici, vel Coadjutores nondum formati dicuntur. 27 Equites Militenses nnn possunt testari, secluso privilegio Sedis Apostolicæ. 28 Difficultas non levis est: An Canonici Sæculares clarissimę, semperque venerabilis Congregationis Sancti Joannis Evan-

Evangelistæ liberè testari valeant? Respondeo, posse validè testari de legitimè acquisitis, non petitâ ad testandum facultate. 29 Si tamen testentur absque legitima facultate, graviter peccabunt.

CONCLUSIO XXXVI.

AD TEXT. IN CAP. *Nullus* 1. CAP. *Sicut* 15. ET CAP. *Ad Apostolicam* 16. *de Regularibus, & transeuntibus ad Religionem*, lib. 3. Decret. tit. 31.

1 STATUS Religiosus definitur: *Status perfectionis per tria vota Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ perpetuò acquirendæ.* 2 Omnimoda Paupertas non est necessaria ad perfectum statum Religiosum. 3 Sufficiunt vota simplicia ad constituendum hunc statum. 4 Certum est, posse dari veram, & propriè dictam Religionem, in qua Religiosus habeat perpetuam obligationem manendi in Religione, etsi Religio non teneatur ipsum perpetuò retinere, sed ob justas causas eundem possit dimittere. 5 Metus cadens in virum constantem, incussus profitenti, Jure Ecclesiastico reddit irritam professionem. 6 Quod etiam intelligendum est de votis simplicibus Societatis JESU, post biennium Novitiatûs emissis. 7 Si metus gravis incutiatur Prælato acceptanti professionem, non annullat professionem. 8 Ut professio priùs invalida ratificata dicatur, requiritur, ut ratificans sciat professionem à se factam fuisse invalidam. 9 Excipe, nisi expressè apud se statuat, professionem à se emissam velle esse validam, etsi ab initio fortè fuisset invalida. 10 Consensus novus Religionis ad ratificationem professionis non requiritur, si fuit solùm nulla ex defectu consensus in profitente. 11 Imò neque requiritur, si ex alia causa fuit nulla. 12 Certum est, quemlibet Regularem, etiam ex Ordine Militari, posse reclamare contra suam professionem, & illam arguere nullitatis. 13 Ut reclamatio sit legitima debet fieri intra quinquennium à die professionis numerandum. 14 Utrùm verò audiendus sit via ordinaria impugnans professionem suam post quinquennium, si intra id tempus ob ignorantiam, vel ob aliquod impedimentum reclamare non potuit? Negantibus adhæremus. 15 Nihilominus post quinquennium auditur quis per viam restitutionis in integrum. 16 Religio etiam potest reclamare contra invalidè professum. 17 Novitius potest Religionem deserere sine causa; non tamen expelli. 18 Annus probationis ita ad professionem necessarius est in quacunque Religione, ut, eo omisso, professio facta sit nulla. 19 Annus probationis debet esse completus de momento in momentum. 20 Item necessariò debet esse continuus, ac sine interruptione. 21 Non debet repeti Novitiatus casu, quo professio ex aliquo defectu invalida fuit. 22 Si Novitius de licentia sui Prælati, & cum habitu intra annum probationis è monasterio exeat, & extra illud per aliquod tempus moretur, non interrumpitur Novitiatus. 23 Ad professionem validam requiritur decimus sextus ætatis annus, etiam pro emissione votorum Scholarium Societatis JESU. 24 Vinculum professionis dissolvi non potest ex consensu utriusque partis, Religionis scilicet, & Religiosi; nec per promotionem professi ad Episcopatum. 25 Religiosus solemniter professus expulsus in perpetuum à Religione manet adhuc obligatus ad vota illius substantialia. 26 Tenetur idem in conscientia se corrigere, & petere receptionem suam in Ordinem; potestque per superiores cogi ad redeundum.

CONCLUSIO XXXVII.

AD TEXT. IN CAP. *Præterea* 1. CUM ALIIS, *de Conversione Conjugatorum*, lib. 3. Decret. tit. 32.

1 POST contractum matrimonium conceditur cuivis conjugum bimestre, ita ut intra illud non teneatur matrimonium consummare, aut debitum alteri petenti reddere. 2 Potest tamen hoc tempus arbitrio Judicis, vel restringi, vel prorogari. 3 Dubium est: an bimestre à Jure indultum competat etiam conjugi Religionis propositum non habenti, ita ut intra illud possit negare debitum alteri conjugi petenti? Affirmativam sententiam amplectimur. 4 Si matrimonium non fuit consummatum, transacto bimestri, adhuc licitum est transire ad Religionem, quantùcunque tempus elapsum sit. 5 Per copulam intra bimestre vi extortam non impeditur ingressus. 6 Idem dicendum de copula per metum injustè incussum obtentâ. 7 Post consummatum matrimonium potest quivis conjux Religionem ingredi cum consensu alterius. 8 Præter consensum necessariò requiritur, ut etiam alter conjux Religionem ingrediatur, si juvenis est, vel senex quidem, sed suspectus de incontinentia. 9 In conjuge sene, & qui de incontinentia suspectus non est, sufficit, si votum continentiæ emittat in sæculo. 10 De Jure communi licentia Episcopi non requiritur ad hoc, ut unus conjux de licentia alterius ingrediatur Religionem, ibique validè profiteatur. 11 Valida est professio conjugis facta cum consensu alterius, quamvis alter manens in sæculo votum continentiæ non emiserit. 12 Consensus requisitus, ut alter conjux possit ingredi Religionem, & validè in ea profiteri, de-

bet esse liber à gravi metu injusto. 13 Non sufficit consensus merè tacitus, & præsumptus. 14 Conjux sine alterius consensu Religionem ingressus potest revocari à conjuge relicta. 15 Imo sponte redire potest ad sæculum, etiam post professionem factam. 16 Maior difficultas est: an revocationi adhuc locus sit casu, quo unus conjugum, post votum continentiæ ab utroque emissum, sine alterius consensu Religionem ingressus, eamque professus est? Placet resolutio affirmativa. 17 Si uterque conjux, mutuà licentià non obtenta, Religionem ingressus, eamque professus est, neuter potest alterum revocare, si uterque fuit conscius professionis alterius. 18 Si autem uterque fuit inscius, neutrius professio tenebit, & uterque è Religione exire, & conjugem suum potest repetere. 19 Quod intelligendum est, etsi unus prior cum injuria alterius, utpotè invitæ, ingressus sit Religionem. 20 Maritus cum uxoris consensu Religionem ingressus non potest revocari, & compelli, ut ad uxorem redeat, si uxor ab ipso relicta votum continentiæ emisit. 21 Idem dicendum, etsi votum continentiæ non emiserit, dummodo conscia fuerit Juris disponentis, virum non posse profiteri, nisi ipsa etiam ingrediatur Religionem, vel voveat continentiam. 22 Secus, si Juris ignara consenserit. 23 Maritus revocatus tenetur reddere debitum; petere tamen nequit. 24 Imò post uxoris mortem ad monasterium redire debet.

CONCLUSIO XXXVIII.

AD TEXT. IN CAP. *Licet 6. de Voto, & Voti Redemptione*, lib. 3. Decret. tit. 34.

1 VOTUM definitur: *Promissio deliberata facta Deo de bono possibili, & meliori.* 2 Ad rationem voti non sufficit solum propositum, quantumvis efficax; & absolutum. 3 Votum nunquam peccandi venialiter est nullum. 4 Si verò votum sit de vitando aliquo genere venialium, erit validum. 5 Votum non peccandi mortaliter est validum. 6 Invalidum est votum de matrimonio contrahendo absolutè, & absque ulla restrictione emissum. 7 Tota difficultas est: an validum sit votum de matrimonio contrahendo in eo, qui ob fragilitatem suam non facilè se potest continere, vel plurimis exagitatus carnis stimulis multoties succumbit? Respondeo, valere tale votum. 8 Si inferas: ergo votum simplex castitatis, vel Religionis emissum in dictis circunstantiis, erit invalidum. Negamus illationem. 9 Votum ex natura sua obligat sub mortali. 10 Obligatio voti non illiditur ex perverso animo non adimplendi promissum. 11 Si materia, omnibus inspectis, sit levis, non potest vovens se ad illam graviter obligare, quamvis hoc intendat. 12 In materia gravi potest vovens solùm venialiter se obligare. 13 Non est mortale frangere votum in materia parva, quamvis sit tota materia voti. 14 Qui votum emisit jejunandi singulis feriis sextis, aut sabbatis per annum, non tenetur jejunare, si in aliquo ex his diebus incidat festum Natalis Domini. 15 Similiter, qui jejunium quotidianum per annum integrum vovit, si expressè dies Dominicas non comprehendit, eo ipso non obligatur ad servandum votum in illis. 16 Vovens sub conditione, & malitiosè impediens conditionem, non est obligatus ad voti executionem. 17 Votum emissum sub conditione impossibili nullum est. 18 Conditio turpis, quæ destruat substantiam voti, vel habeatur pro fine à vovente, reddit votum nullum. 19 Qui vovet aliquod bonum, supposita turpi conditione, tenetur ad votum. 20 Votum factum sub conditione possibili, & honesta, adimplendum est post adventum conditionis. 21 Si votum pendeat à pluribus conditionibus disjunctivè, sufficit ad obligationem voti, unam ex conditionibus fuisse purificatam. 22 Secus dicendum, si conditiones appositæ sint copulativè. 23 Ex dispositione Juris, qui vovit simpliciter Religionem strictiorem, si postea profiteatur laxiorem, in hac licitè manere potest. 24 Vovens potest propria authoritate commutare votum in rem evidenter meliorem, in qua includatur minus bonum. 25 Status Episcopalis est perfectior statu Religioso. 26 Idem dicimus de statu Prælatorum curam animarum habentium, & de Parochiali. 27 Nihilominus, qui votum simplex Religionis emisit, non potest illud commutare in statum Episcopalem, vel Parochialem.

CONCLUSIO XXXIX.

AD TEXT. IN CAP. *Monachi* 2. CAP. *Super quodam* 4. ET CAP. *Cùm ad monasterium 6. de Statu Monachorum, &c.* lib. 3. Decret. tit. 35.

1 RELIGIOSI omnes, & singuli ratione voti Paupertatis obligantur, ne proprium quid habeant, vel aliquo, tanquam proprio, utantur. 2 Non includitur in hoc voto renuntiatio Beneficii Ecclesiastici, & aliorum jurium spiritualium; modò fructus, qui titulo Beneficii percipiuntur, non sibi, sed monasterio, vel Ecclesiæ suæ acquirant. 3 Dispositio Religiosi professi de bonis temporalibus est invalida, nisi fiat cum consensu illius, ad quem eorum dispositio pertinet. 4 Controversia est: an valida sit dispositio, quam Scholasticus Societatis JESU de bonis suis faceret sine consensu superiorum? Probabilius est, hujusmodi dispositionem esse validam, quamvis illicitam, & contra vo-

votum paupertatis. 5 Religiosus accipiens, vel distrahens de licentia tacita superioris non est transgressor voti Paupertatis. 6 Subditus accipiens, vel distrahens contra licentiam, quamvis injustè denegatam, transgreditur votum Paupertatis. 7 Ad statum Religiosum non sufficit castitas conjugalis. 8 Summus Pontifex potest dispensare cum solemniter protesso, ut matrimonium contrahat. 9 Ut Pontifex possit licitè dispensare in voto solemni Castitatis, non sufficit utilitas privata, sive speciale aliquod commodum Professi; sed requiritur causa publica, & valde urgens. 10 Valida est dispensatio Pontificia in voto solemni Professi absque justa causa concessa. 11 Si quæras: utrùm Pontifex ita possit dispensare cum Religioso Professo ad matrimonium, ot dispensatus, suscepta prole, ad Religionem teneatur regredi? Respondemus negativè. 12 Certum est apud omnes, posse committi culpam venialem contra castitatem ex defectu plenæ advertentię, & deliberationis. 13 Firmiter propugnamus, nullum actum venereum ob parvitatem materiæ tantùm venialem esse, si sit deliberatè commissus, vel quæsitus. 14 Votum Obedientię solùm obligat ad obediendum illi, cui Religiosus voluntariè se tradit. 15 Summus Pontifex habet potestatem præcipiendi Religiosis in quacunque materia, in qua omnes Prælati Religionis possunt eis præcipere. 16 Certum est, Regulares exemptos utriusque sexus ex voto Obedientiæ non teneri obedire Episcopo. 17 Probabilius est, Regulares non exemptos, si Episeopo, tanqoam proprio suo Prælato, non specialiter Obedientiam voveant, ad ipsi obediendum ex vi voti Obedientiæ non teneri. 18 Utrùm verò Moniales teneantur ex vi voti Obedientiæ obedire Abbatissis, Priorissis, & similibus Superiorissis? Affirmandum. 19 Superior Regularis non potest præcipere Religiosis subditis, quæ extra Regulam sunt, & in ea nec expressè, nec tacitè, seu implicitè continentur. 20 Neque Summus Pontifex ex vi voti Obedientiæ potest obligare subditum regularem ad ea, quæ sunt supra, cootra, vel infra Regulam, nisi ex causa, quæ tamen sit secundùm Regulam. 21 Religiosus, qui consuetudinem habet transgrediendi regulas sub nulla culpa obligantes, vel obligantes ad veniale tantùm, per se loquendo, non peccat mortaliter, esto careat intentione servandi illas regulas, vel etiam haberet expressam intentionem illas non servandi.

CONCLUSIO XL.

AD TEXT. IN CAP. *Consuluisti 3. de Celebratione Missarum, & Sacramento Eucharistiæ, & Divinis Officiis*, lib. 3. Decret. tit. 41.

1 SACRIFICIUM generaliter sumptum definiri potest: *Oblatio rei permanentis, cujus immutatione per legitimum Ministrum facta, recognoscitur Deus, ut supremus omnium Dominus, vitæque, & mortis author.* 2 In Missa esse verè, & propriè dictum sacrificium, est resolutio de fide. 3 Res oblata in sacrificio Missæ est Christus sub speciebus panis, & vini. 4 Est proinde hoc sacrificium infiniti valoris, & dignitatis maximæ. 5 In sola coosecratione sita est ejus essentia. 6 Essentialiter tamen includit consecrationem utriusque speciei. 7 Non potest ergo Pontifex dispensare, ut sub unica specie fiat consecratio. 8 Sacerdotes sunt re ipsa offerentes in hoc sacrificio. 9 Principalis verò offerens est Christus Dominus. 10 Quilibet Sacerdos ratione Ordinis, & Officii sui Sacerdotalis assumpti, ad sacrificium hoc aliquoties offerendom graviter obligatur. 11 Licitum, & consulendum est omnibus Sacerdotibus singulis diebus sacrificium Missæ offerre. 12 Sacerdos semel tantùm in eodem die potest licitè sacrificare. 13 Excipe solemnitatem Natalis Domini, & alios urgentis necessitatis casus. 14 Communior sententia tenet, posse à Sacerdotibus privatas Missas celebrari feria quinta in Cœna Domini. 15 Io die Parasceves oon licet celebrare Missam. 16 Similiter illicitum est Sabbato Sancto Missas privatas celebrare in quibuscunque Ecclesiis, & Oratoriis, non obstante quacunque cootraria consuetudine. 17 Est peccatum mortale extra locum ab Episeopo consecratum, vel saltem ab eo depotatom, celebrare, etiam secluso scandalo. 18 Est etiam necessarium altare ad celebrandum. 19 Sufficit quodlibet idoneum, fixum, vel portatile. 20 Accepto stipendio, oritur obligatio ex justitia sacrificandi in favorem illius, qoi stipendium erogavit. 21 Potest accipi stipendium, & obligari optimè Sacerdos ex justitia ad celebrandom pro erogante absque labe ullius simoniæ. 22 Non est licitum ab eodem, vel pluribus plura stipendia accipere, & unico sacrificio satisfacere. 23 Utrùm verò peccet contra Justitiam, qui pro pluribus sacrificiis plura accipit stipendia incongrua, æquivalentia uni congruo, & deinde unom tantùm sacrificium offert? Respondemus affirmativè. 24 Sacerdos, qui accepit stipendium, teoetur applicare pro illud dante totum fructum sacrificii, tam ex opere operato, quàm operantis. 25 Accipiens stipendium pro Missis celebrandis, dum potest per alium celebrare, debet illi dare totum stipendium, quod accepit. 26 Celebrans per alium potest sibi retinere partem eleemosynæ, si Sacerdos celebrans omninò liberaliter illam cedat. 27 Item potest retinere excessum, si detur pinguius stipendium non ratione Missę, sed personæ. 28 Beneficiarius, qui potest per sliom celebrare, potest illi dare consuetum stipendinm, quamvis ipsi pinguius competat ex fructibus Beneficii, nisi aliter in fundatione cautum sit. 29 Non est celebranda Missa pro primo in futurum offerente stipendium.

CONCLUSIO XLI.

AD TEXT. IN CAP. *Cùm Marthæ 6.* eodem tit.

1 UCHARISTIA sic definitur: *Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini, divinitus institutum ad spiritualem refectionem animarum.* 2 Essentiam hujus Sacramenti tam in Corpore, & Sanguine Christi, quàm in speciebus consecratis collocamus. 3 Verba consecrationis sunt etiam intrinsecum constitutivum hujus Sacramenti. 4 Sumptio non constituit intrinsecè Eucharistiam. 5 Licèt constet partibus physicè etherogeneis, non proinde constituit multiplex Sacramentum, sed unum adæquatum. 6 In illo reperiuntur illa tria à TT. assignata, nimirum: *Res tantùm, Sacramentum tantùm, Res, & Sacramentum simul.* 7 Hoc Sacramentum non est necessarium necessitate medii ad salutem. 8 Non est etiam necessarium necessitate medii ad perseverandum in gratia. 9 Ejus materia remota est panis, & vinum. 10 Debet panis esse triticeus necessitate Sacramenti. 11 Esse azymum, vel fermentatum, non est de necessitate Sacramenti. 12 Est tamen de necessitate præcepti, quòd sit azymus pro Ecclesia Latina, & quòd fermentatus pro Ecclesia Græca. 13 Obligaret hoc præceptum, etiam quando defectu panis consueti, & præcepti populus foret privandus diu sacrificio Missæ. 14 Vinum debet esse de vite, & nullum aliud sufficit. 15 Est materia consecrationis etiam congelatum. 16 Peccaret tamen, qui illud prout sic consecraret. 17 Miscendum est tantulum aquæ ex necessitate præcepti, & non Sacramenti. 18 Nec ex præcepto Divino, sed ex solo Ecclesiastico. 19 Primarius, & principalis effectus hujus Sacramenti est gratiæ augmentum. 20 Potest hoc Sacramentum conferre primam gratiam. 21 Solius hominis viatoris, & baptizati est hoc Sacramentum suscipere. 22 Datur re ipsa Christi præceptum sumendi Eucharistiam. 23 Obligat præsertim hoc præceptum in articulo mortis. 24 Nec ei satisfacit communicans extra periculum. 25 Qui communicaverat eodem die, quo incidit in periculum mortis, non tenetur iterum communicare. 26 Infideles Eucharistiç præcepto non adstringuntur. 27 Datur etiam Ecclesiasticum præceptum communicandi semel in anno tempore Paschali. 28 Huic prçcepto communionis annuæ non satisfacit, qui sacrilegè communicat. 29 Per susceptionem Eucharistiæ sine peccato, & sine fructu satisfieri potest præcepto communionis Paschalis. 30 In casu extremæ necessitatis, absente Ministro idoneo, potest laicus Eucharistiam ministrare, secluso scandalo. 31 Ex præcepto Ecclesiastico requiritur ad communionem jejunium naturale consistens in abstinentia ab omni cibo, potu, & à medicinâ. 32 Ut violetur jejunium naturale, satis est, quòd aliquid ab extrinseco recipiatur per modum cibi, aut potûs. 33 In eadem ægritudine potest infirmus iterum, ac sæpius communicare non jejunus, si commodè non potest jejunus.

CONCLUSIO XLII.

AD TEXT. IN CAP. *Dolentes 9.* eodem tit.

1 MNES Clerici Sacris sponte initiati tenentur sub gravi ad recitandas Horas Canonicas. 2 Secus autumandum est, si coactè ordinentur Clerici, & liberè non utantur Ordine accepto. 3 Clericus Ordine Sacro initiatus tenetur ad Divinum Officium post degradationem, vel postquam incidit in aliquam censuram. 4 Similiter tenetur ad Divinum Officium, etiamsi missus fuerit ad triremes, vel ab hostibus captus, nisi ob impotentiam, vel aliam justam causam excusetur. 5 Clericus, qui de consensu Pontificis duxit uxorem, tenetur ad pensum Horarum Canonicarum, nisi in hoc fuerit à Papa dispensatus. 6 Omnes Religiosi Choro deputati tenentur post professionem ad persolvendum Divinum Officium, etiamsi non sint Sacris initiati. 7 Religiosus, qui in priori Religione tenebatur recitare Divinum Officium, non tenetur ad illud recitandum, si transeat ad aliam Religionem, in qua consuetudo recitandi Officium introducta non est. 8 Religiosus, qui compellitur ad triremes, vel per sententiam ejicitur à Monasterio, per se tenetur ad Horas Canonicas recitandas. 9 Monachus habens facultatem, & dispensationem vivendi in perpetuum extra Monasterium tenetur ad recitandum Divinum Officium. 10 Religiosi, qui professionem emiserunt in ea Religione, quç non est addicta choro, non tenentur ex vi professionis ad pensum Divini Officii. 11 Moniales choro deputatæ obligantur ex consuetudine singulis diebus Horas Canonicas recitare. 12 Beneficium habens exiguos redditus obligat ad Officium singulis diebus legendum. 13 Si nullos percipis fructus tuâ culpa, quia v.g. es excommunicatus, vel absens, non deobligaris à recitatione. 14 Restitutio imposita Beneficiatis non recitantibus debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis. 15 Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri non potest per quascunque eleemosynas, quas antea Beneficiatus ex fructibus sui Beneficii fecit. 16 Peccat mortaliter Beneficiatus, qui animo fructus restituendi omittit Officium Divinum. 17 Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad illas tenetur. 18 Quoad substantiam satisfacit, qui recitat Hebraica, Græca, vel Latina lingua. 19 Non satis-

fatisfacit præcepto recitandi, qui pro Officio diei Palmarum recitaret Officium Paſchale. 20 Unico Officio fatisfacere quis non poteſt duplici præcepto pro die præſente, & craſtina. 21 Qui Ordinem Horarum non ſervat, ut, ſi recitet Primam ante Matutinum, aut Veſperas ante alias Horas, non peccat mortaliter, nec repetere tenetur; ſed tantùm venialiter, dum hæc facit ſine cauſa advertenter.

CONCLUSIO XLIII.

Ad text. in cap. *Maiores* 3. *de Baptiſmo, & ejus effectu*, lib. 3. Decret. tit. 42.

1 BAPTISMUS vel poteſt eſſe Fluminis, vel Flaminis, vel Sanguinis. 2 Definitur primus: *Ablutio corporis exterior à Chriſto Domino inſtituta ad regenerationem ſpiritualem ſub præſcripta forma verborum cum debita intentione.* 3 Parvulis extra caſum Martyrii neceſſarius omnino eſt Baptiſmus in re ſuſceptus ad ſalutem conſequendam. 4 Neceſſarius item ſimpliciter eſt adultis, in re tamen, vel in voto. 5 Materia remota Baptiſmi eſt aqua naturalis, ſeu elementaris ad abluendum apta. 6 Proxima eſt ablutio ipſa. 7 Fit ſufficienter per immerſionem, aſperſionem, vel effuſionem. 8 Si puer projiciatur in fluvium à proferente verba formæ cum debita intentione baptizandi, valet Baptiſmus, ſi forma finiatur, antequam moriatur puer. 9 Difficultas eſt: an baptizans hoc modo, etiam in caſu, quo jam puer moriturus aliter baptizari non poſſet, peccaret mortaliter? Reſp. affirmat. 10 Aliter dicendum eſt, ſi ex eo, quòd puer aquâ attingatur, citiùs moriatur. 11 Hinc ſequitur, non eſſe ſecandam matrem, aliàs proximè morituram, ut infanti exiſtenti in utero poſſit dari Baptiſmus. 12 Si mulier prægnans damnata ad mortem corripiatur morbo lethali, licet Judici eam ſecare ante mortem, ut baptizetur infans. 13 Siquis videns puerum labentem, aut ab alto projectum in flumen, proferat verba cum intentione baptizandi, non efficit verum Baptiſmum. 14 Eſſet tamen validus Baptiſmus, ſiquis puerum ſubmitteret aquæ defluenti ex tecto, aut ex alio loco. 15 Idem dicendum eſt, ſi puer per funem demergeretur in puteum. 16 De fide eſt, formam ſufficientem ad Baptiſmum eſſe hanc: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.* 17 Non eſt validus Baptiſmus collatus in nomine ſolius Chriſti. 18 Baptiſmus in nomine Genitoris, & Geniti, & Procedentis ab utroque, non eſt validus. 19 Si dubitetur prudenter, an aliquis ſit, vel non ſit baptizatus, adhibenda eſt forma hoc modo: *Si non es baptizatus, ego te baptizo.* 20 Quilibet viator rationis compos, ſit vir, vel mulier, poteſt Baptiſmum validè miniſtrare. 21 Miniſter deputatus ad miniſtrandum ſolemniter Baptiſmum eſt ſolus Sacerdos. 22 Licitum non eſt baptizare filios infidelium non baptizatorum, utroque parente renuente, ſeu non conſentiente, regulariter loquendo. 23 Fide certum eſt, pueros ante uſum rationis eſſe capaces Baptiſmi. 24 Poterit baptizari quis, etiam dormiens, vel aliter rationis expers, ſi antea Baptiſmum petiërit. 25 Fœtus animatus probabiliter eſt capax Baptiſmi, quamvis nondum ſit egreſſus ex utero matris, ſi poſſit aliqualiter ablui.

CONCLUSIO XLIV.

Ad text. in cap. *Conſilium* 2. *de Obſervatione Jejuniorum*, lib. 3. Decret. tit. 46.

1 JURE Eccleſiaſtico, non verò Divino, tenemur jejunare. 2 Præceptum jejunii obligat graviter. 3 Abſtinentia à carnibus non eſt de eſſentia jejunii Eccleſiaſtici. 4 Diſpenſatus ad carnes edendas non eſt liber à jejunio. 5 Diſpenſatus ad carnes edendas liber eſt ab abſtinentia à lacticiniis. 6 Diſpenſatus ad carnes edendas non poteſt ſimul comedere piſces. 7 Diſpenſatus ad unum genus carnium, v. g. gallinam, poteſt quaſcunque carnes comedere. 8 Qui ſine cauſa pluries in die jejunii veſcitur carnes, pluries peccat. 9 Unica tantùm comeſtio haberi poteſt die jejunii. 10 Quamvis non præſcribatur tempus inſumendum in unica refectione facienda, non debet tamen eſſe notabiliter longum. 11 Plenâ jam habitâ refectione ſine animo continuandi prandium, plicato linteolo, potes nihilominus intra quadrantem cum dimidio aliquid prægustare ſine violatione jejunii. 12 Propter aliquam rationabilem cauſam potes refectionem interrumpere per horam, maximè, ſi animo redeundi interrumpas, quin tranſgrediaris præceptum jejunandi. 13 Cœnula, ſeu nocturna refectio ex præſcripta conſuetudine introducta eſt, & ad octo circiter uncias pertingere poteſt. 14 Non peccat contra legem jejunii, qui unica refectione adeo ſatiatur, ut nullam jejunii difficultatem ſentiat, nec carnis illecebras ullatenus comprimat. 15 Omnes fideles, completo 21 anno, per ſe loquendo, tenentur ad jejunia ab Eccleſia præſcripta. 16 Regulares à juriſdictione Epiſcoporum exempti non tenentur obſervare jejunia, quæ Epiſcopi in ſuis Diœceſibus indicunt. 17 Non excuſatur à jejunio, per ſe loquendo, qui magis vexatur tentationibus carnis jejunando, quàm non jejunando. 18 Non poteſt quis per alium jejunare, & præcepto je-

junii ſatisfacere. 19 Qui aliquo die jejunare non poteſt, non tenetur aliquid loco jejunii facere. 20 Excuſantur à jejunio illi, qui, niſi largiorem refectiunculam noctu accipiant, gravem ſalutis jacturam probabiliter timent. 21 Qui vigeſimum primum annum nondum complevit, & qui ſexageſimum annum jam attigit, quamvis nondum compleverit, excuſantur à jejunio.

CONCLUSIO XLV.

AD TEXT. IN CAP. *Eccleſiæ* 9. *de Immunitate Eccleſiarum, Cæmeterii, & rerum ad eas pertinentium*, lib. 3. Decret. tit. 49.

1  MNES Eccleſiæ authoritate Epiſcopi erectæ, etiamſi non ſint conſecratæ, gaudent privilegio immunitatis. 2 Non requiritur, quòd in eis Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum aſſervetur, vel Divina celebrentur. 3 Extenditur hæc immunitas ad Eccleſiam nondum perfectè conſtructam. 4 Item ad interdictam, vel pollutam, etiamſi nondum reconciliata ſit. 5 Ad Eccleſiam dirutam, ſeu deſtructam extenditur, modò non ſit diruta authoritate ſuperioris, & ſine ſpe reædificationis. 6 Privilegio immunitatis gaudet etiam Eccleſia nondum benedicta, dummodo habeat alias conditiones ad effectum hunc requiſitas. 7 Utrùm verò gaudeat immunitate, qui extrinſecùs adhæret parietibus Eccleſiæ? Affirmamus. 8 Idem aſſerimus de eo, qui adhæret oſtio clauſo Eccleſiæ. 9 Rogabis: an privilegium immunitatis extendatur ad ſummum templi tectum, ad porticum, ad campanile, ad hortum? Affirmativæ ſententiæ ſubſcribimus. 10 Inſuper immunitate gaudet ſpatium terræ per quadraginta paſſus Eccleſiæ Maiori, ſeu Cathedrali, & per triginta Eccleſiis minoribus adjacens. 11 Quod intellige de Eccleſiis, quæ ſunt extra, non verò intra murorum populi ambitum. 12 Item de eo, qui jam ad Eccleſiam confugit, ex illaque progreditur per triginta, vel quadraginta paſſus; ſecus de eo, quem Eccleſia nondum recepit. 13 Hoc privilegium extenditur ad Cæmeterium Eccleſiæ. 14 Quod intelligendum eſt non tantùm de Cæmeterio contiguo Eccleſiæ, ſed etiam de ſeparato. 15 Item extenditur ad hoſpitale authoritate Epiſcopi erectum. 16 Idem dicendum de Monaſteriis, Conventibus, & Collegiis Regularium ſecundùm totum illud, quod ſeptum eſt. 17 Etiam Oratoria, quæ ſunt erecta authoritate Epiſcopi, gaudent privilegio immunitatis. 18 Secus de aliis, quæ authoritate Epiſcopi non ſunt erecta. 19 Idem aſſerendum de domibus Epiſcoporum, quamvis ſolùm ſint titulares. 20 Domus S. R. E. Cardinalium non videntur hac immunitate gaudere. 21 Quæres: Utrùm confugiens ad Sacerdotem portantem Sanctiſſimam Euchariſtiam gaudeat privilegio immunitatis? Reſpondeo, hoc privilegium non haberi in Jure, ſed expectandam eſſe conſuetudinem. 22 Similiter dicendum eſt, confugientem ad altare portatile, aut illud gerentem, ſpectato Jure, non gaudere immunitate Eccleſiaſtica. 23 Item de Jure communi non gaudet immunitate confugiens ad Crucem extra Eccleſiam, vel loca Religioſa poſitam. 24 Quod etiam dicendum de fugiente ad Sanctorum Reliquias. 25 Spectanda tamen erit locorum conſuetudo, quæ omnino eſt obſervanda, ſi immunitatem ſic confugientibus concedat.

CONCLUSIO XLVI.

AD TEXT. IN CAP. *Inter alia* 6. ET CAP. FINAL. eod. tit.

1  MNIA crimina ſpecialiter non excepta gaudent immunitate, quamvis enormiſſima, & atrociſſima ſint. 2 Publicus latro non gaudet immunitate: ſecùs verò ſimplex fur. 3 Nocturnus agrorum depopulator ab immunitate excluditur. 4 Dubium eſt: An diurnus agrorum depopulator excludatur? Quamvis plures Doctores negent, probabilius eſt, quòd excludatur. 5 Graſſatores viarum etiam ab immunitate excluduntur. 6 Committens homicidium, vel mutilationem in Eccleſia immunitate privatur, etiamſi non deliquerit ſub ſpe immunitatis. 7 Secus dicendum de eo, qui furtum committit in Eccleſia, vel aliud delictum æquè grave, aut gravius homicidio, vel mutilatione, ſi delictum non fuerit exceptum. 8 Vulnerans in Eccleſia non privatur illius immunitate, ſi ex tali vulnere mors non ſequatur, quamvis magna ſanguinis effuſio ſecuta ſit. 9 Ille, qui exiſtens extra Eccleſiam ſagitta, vel alio inſtrumento occidit exiſtentem intra Eccleſiam, privatur immunitate. 10 Idem dico de eo, qui exiſtens intra Eccleſiam occidit exiſtentem extra illam in loco profano. 11 Non privantur immunitate, qui occidunt, vel mutilant prope Eccleſiam, v. g. in ejus atrio, porticu, ſcalis, &c. 12 Item privationem immunitatis non incurrit, qui mandat aliquem occidi, vel mutilari in Eccleſia. 13 Rogabis: Utrùm privetur immunitate, qui vi, vel fraude, ac dolo extrahit aliquem ab Eccleſia, & extractum occidit, vel mutilat? Tenenda eſt reſolutio affirmativa. 14 Ex mutilatione, vel occiſione in Eccleſia facta non privaris immunitate quoad alia delicta. 15 Occidens, vel mutilans in una Eccleſia, ſi ad aliam confugiat, in qua non deliquit, adhuc non eſt tutus, nec ibidem gaudet immunitate. 16 Proditorius homicida ab immunitate excluditur. 17 Utrùm verò proditoriè occidens infidelem privetur immunitate? Affir-

Affirmamus. 18 Excipitur ab immunitate assassinii reus, videlicet, qui pretio conductus proximum Christianum occidit. 19 Unde, spectato Juris rigore, assassinii crimen non committit, qui pretio conductus occidit hominem infidelem. 20 Non requiritur, quòd mandatarius de facto pretium acceperit; sufficit, quòd promissionem acceptaverit. 21 Non privatur immunitate, qui pecuniâ conducitur, non ad occidendum, sed ad vulnerandum. 22 Excipe, nisi mandatum esset vulnus, quod sine propinquo periculo necis infligi non potest. 23 Qui accepit pecuniam ad occidendum, & non occidit, sed solum vulneravit, gaudet immunitate. 24 Mandans aliquem occidere sub promissione pecuniæ, morte non secuta, crimen assassinii incurrit, & immunitate privatur. 25 Item receptans, defendens, vel occultans assassinum, si verè causa sunt mortis illatæ. 26 Excipitur ab immunitate hæresis, & læsæ Maiestatis reus in personam ipsiusmet Principis. 27 Intellige Principem supremum respectu ipsius offendentis ratione originis, vel domicilii. 28 Jure novissimo præter enumerata delicta dantur alia, quæ immunitate Ecclesiæ delinquentes privant.

CONCLUSIO XLVII.

AD TEXT. IN CAP. *Miror* 8. cauf. 17. quæst. 4.

1 PRIVILEGIUM immunitatis concessum est omnibus Christianis baptizatis, qui non sunt rei criminis excepti. 2 Interdictus ab ingressu Ecclesiæ gaudet hoc privilegio. 3 Idem asserimus de excommunicato. 4 Probabilius est, hæreticos gaudere etiá privilegio immunitatis in aliis criminibus ab hæresi distinctis. 5 Extenditur hoc privilegium ad infidelem confugientem ad Ecclesiam. 6 Quod procedit, etiamsi ad veram fidem se convertere nolit. 7 Rogabis: Utrùm Clerici, & Religiosi in criminibus non exceptis gaudeant hac immunitate respectu suorum Judicum? Probabilior est sententia negativa. 8 Si servus à domino fugiens in Ecclesiam se recipiat, quia timet se ab eodem tradendum Judici, restituendus non est. 9 Si verò in Ecclesiam se recipiat, quia timet privatim se à domino puniendum, & delictum sit leve, reddendus domino est, si de impunitate servi dominus juramentum Clericis præstiterit. 10 Præstito juramento, si nolit redire servus, potest compelli à domino, etiam invitus. 11 Si delictum fuerit grave, regulariter juramentum non sufficiet, sed securitatem aliam debet dominus dare. 12 Quod si dominus hanc securitatem noluerit, vel non potuerit concedere, compellendus est servum vendere, neque debet illi tradi. 13 Confugiens ad Ecclesiam, aliàs carceri emancipandus, gaudet immunitate. 14 Difficultas est: An immunitas prosit etiam illi, qui, effracto carcere, fugit ad Ecclesiam? Affirmativam sententiam amplectimur. 15 Hinc à fortiori infertur, si captus à Ministris Justitiæ ex eorum manibus in locum sacrum te recipias, immunitate gaudere. 16 Infertur etiam, gaudere immunitate damnatum ad mortem, si ad supplicium ductus è manibus Ministrorum se eximens ad Ecclesiam confugerit. 17 Controversia est: An immunitate gaudeat etiam is, qui, fide data, custodi, &, juramento præstito redeundi, è carcere dimissus se recipit in locum sacrum? Placet sententia affirmativa. 18 Excipe, nisi reus incarceratus sit pro crimine excepto. 19 Utrùm verò Prælatus Ecclesiasticus possit tradere Magistratui sæculari sic fugientem, præstita priùs cautione idonea de impunitate quoad pœnam corporalem? Negantibus subscribimus.

CONCLUSIO XLVIII.

AD TEXT. IN CAP. *Frater* 10. CAP. *Siquis contumax* 20. ET CAP. *Definivit* 35. cauf. 17. quæst. 4.

1 REI ad loca sacra confugientes recipiendi sunt. 2 Nec inde extrahi inviti possunt. 3 Ad Ecclesiam confugiens nequit in illa capi, incarcerari, ligari vinculis, aut alia vis eidem inferri. 4 Magistratus sæcularis non potest prohibere, vel impedire, quominus victus, vestes, & reliqua vitæ necessaria ad reum in Ecclesia deferantur. 5 Bona, quæ delinquens ad Ecclesiam secum tulit, si propria ejusdem sint, auferri eidem nequeunt. 6 Non potest reus, dum est in Ecclesia, per sententiam Judicis damnari ad mortem, vel aliam pœnam corporalem, & gravem. 7 Si reus illegitimè fuerit extractus, ante omnia debet restitui Ecclesiæ. 8 Extractio, totusque processus post extractionem à Judice sæculari institutus, nullus omnino, & irritus est. 9 Judici volenti reum extrahere è loco sacro ultra casus permissos, resistere potest tam reus, quàm Ecclesia. 10 Rectores Ecclesiarum debent confugæ vitam, & membra servare. 11 Si reus solis blanditiis, aut persuasionibus inductus egrediatur, non gaudet immunitate. 12 Secus dicendum, si per metum injustè illatum, & non vanum, sed fundatum egressus est. 13 Dolo, fraude, & mendaciis ad sponte exeundum inductus gaudet privilegio immunitatis, si ad egrediendum inductus sit fraude, & dolo ipsius Judicis, aut hujus authoritate. 14 Si verò dolo alterius privatę personæ suasus egressus est confuga, nec Judex fuit deceptionis particeps, poterit Judex sic deceptum, si eundem invenerit extra Ecclesiam, capere, & contra illum procedere. 15 Si quæras: Utrùm Judex Ecclesiasticus possit licentiam concedere

cedere Judici sæculari ad extrahendum reum invitum in casibus non exceptis? Respondemus negativè. 16 Reus non potest consentire, ut in Ecclesia capiatur, aut exrrahatur, quamvis possit sponte exire, ac permittere, ut egressus capiatur. 17 Difficoltas est: An reus possit ligari, vel alia via interim custodiri à Judice sęculari, dum ab Ordinario examinatur causa, an gaudere debeat immunitate? Tenenda est resolutio negativa. 18 Rector Ecclesiæ, ad quam coosugit reus, non tenetur confugientem custodire, ne fugiat, casu, quo dubitatur, ao ille gaudere possit immunitate, vel non. 19 Imo, licèt carcer Judicis Ecclesiastici sit minus tutus, non potest Judex laicus nomine Episcopi reponere reum in carcere sęculari, ut ibi tutiùs custodiatur. 20 Quod iotelligendum est, etiamsi Judex sęcularis dare velit cautionem de impunitate in suis carceribus. 21 Extrahentes reum è loco sacro, aut Ecclesia in casibus non exceptis committunr gravissimam culpam sacrilegii, & injustitię. 22 Jure Civili incurrunt pœnam capitalem. 23 Jure Canonico propter hoc delictum imponitur pœna pecuniaria, & publica pœnitentia. 24 Item sic extrahentes incurrunt pœnam excommunicationis maioris, à qua absolvi non possunt, nisi extractum restituant. 25 Sufficit autem ad eam incurrendam attentatio, etsi effectus non sit secutus. 26 Haic excommunicationem non incurrit, qui solùm ratam habet extractionem rei.

CONCLUSIO XLIX.

AD TEXT. IN CAP. *Multa* 1. CUM ALIIS, *Ne Clerici, vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant*, lib. 3. Decret. tit. 50.

1 NEGOTIATIO propriè dicta prohibita est Clericis, & Religinsis. 2 Licita est Clerico negotiatio œconomica, & industrialis, si non multûm accedat ad lucrativam. 3 Impressio librorum, eorumque venditio non continet negotiationem Clericis prohibitam. 4 Nec colere proprios agros ad colligendos fructus, quamvis ex intentione ex eis lucrum captandi. 5 Intentio vendendi justo pretio proprios fructus non importat negotiationem. 6 Non possunt vendere res emptas, etiam arte, vel industria mutatas, si hoc solùm fiat lucri gratia. 7 Possunt, si eas emant ex alio honesto fine. 8 Quæres: Utrùm Religiosi possint licitè vendere pharmaca, quæ ipsi suâ industriâ, & arte conficiunt? Respondemus affirmativè. 9 Si Clericus negotietur per alium, non incurret pœnas à Jure impositas in Clericos negotiatores. 10 Vi contrariæ consuetudinis potest Ecclesiasticus negotiari per alium, quando huic totaliter incumbat cura negotiationis. 11 Certum est, negotiationem propriè dictam esse prohibitam Clericis in Minoribus tantùm Ordinibus constitutis, si Beneficium Ecclesiasticum habeant. 12 Attento rigore SS. Canonum, nec Clericis in Minoribus constitutis, quamvis non Beneficiatis, licet negotiari. 13 Clericus negotiator peccat mortaliter, nisi parvitas materię, & ratio necessitatis excuset. 14 In casu tamen necessitatis deberet Clericus priùs recurrere ad artificium, vel laborem manuum, quàm ad negotiationem exercendam. 15 Pręter negotiationem prohibetur generaliter Clericis, & Religiosis exercitium artis Chirurgicæ, & Medicæ. 16 Quod intelligendum etiam est de Clericis, qui in Minoribus tantùm Ordinibus constituti sunt, si Beneficium ad sustentationem sufficiens habeant. 17 Excipe, si hujusmodi artem erga personas miserabiles, aut cognatas exerceant causa pietatis, modò absique incisione, & adustione fiat. 18 Clerici, & aliæ personæ Ecclesiasticæ possunt esse procuratores laicorum coram Judice Ecclesiastico, saltem in causis Ecclesiasticis. 19 At coram Judice sæculari esse non possunt, nisi ex charitate, vel amicitia, aut ob causam pietatis, & ad onum, vel alterum negotium, non autem quoad omnia. 20 Clerici non possunt exercere officium Tabellionis, seu Notarii publici. 21 Excipiuntur causæ Fidei. 22 Clericus, etiam in Sacris constitutus, & Beneficium habens potest esse Notarius Papę, & in Curia Romana hoc officium exercere. 23 Judicium sanguinis non solùm prohibetur Clericis in Sacris constitutis, sed etiam iis, qui in Minoribus tantùm Ordinibus constituti sunt. 24 Item prohibitum est Clericis, & Religiosis in Scholis, vel Universitatibus publieis Jus Civile, & Medicinam audire. 25 Possunt tamen Jus Civile, ac Medicinam publicè, aut privatim docere.

CONCLUSIO L.

AD TEXT. IN CAP. *Præterea* 2. ET CAP. *Ex literis* 10. *de Sponsalibus, & Matrimoniis*, lib. 4. Decret. tit. 1.

1 SPONSALIA definiuntur: *Promissio mutua matrimonii futuri*. 2 Ad valorem sponsalium non suffieir libertas semiplena. 3 Regulariter valida sunt sponsalia, quę ira, amore, aut alia simili passione impellente contracta sunt. 4 Ut promissio futuri matrimnnii obliget, necessarium est, ut à promissario, sive eo, cui fit, sit acceptata. 5 Unde sequitur, hujusmodi promissionem, antequam illam pars alrera acceptet, revocari posse à promittente. 6 Sponsalia non perficiuntur sola acceptatione promissionis

nis matrimonii; sed necessarium est, ut ei accedat etiam repromissio. 7 Certum est, ex sponsalibus validis oriri obligationem sub gravi culpa ad matrimonium contrahendum, & premissionem adimplendam. 8 Qui non vult sine legitima causa implere sponsalia, cogendus est, sive sponsalia sint jurata, sive non. 9 Potest imponi pœna resilienti injustè à contractu sponsalitio. 10 Deflorans virginem spe fictæ promissionis, nec ex justitia, nec ex fidelitate obligatur, si præsumatur ipsam cognovisse deceptionem. 11 Si non habuit occasionem percipiendæ deceptionis, obligatur ad matrimonium, etsi damnum alia via compensare valeat. 12 Ex solo excessu nobilitatis, aut divitiarum percipi satis non potest occasio deceptionis percipiendæ. 13 Nemo perpetuò impeditus ad matrimonium contrahendum potest sponsalia validè contrahere. 14 Sponsalia puberum dissolvuntur mutuo consensu contrahentium, etsi juramento sint firmata. 15 Gravis difficultas est: An sponsalia dissolvantur præcisè per ingressum in Religionē, non expectata professione? Respondemus, dissolvi ex parte ejus, qui mansit in sęculo, non vero ex parte ejus, qui Religionem ingreditur. 16 Quamvis sponsalia sint jurata, potest jurans ingredi Religionem, non contracto matrimonio. 17 Votum ingrediendi Religionem non dissolvit sponsalia præcedentia ex parte voventis. 18 Votum simplex castitatis emissum post sponsalia non illa dirimit ex parte voventis. 19 Qui post emissum votum Religionis, aut castitatis virginem defloravit sub spe matrimonii promissi, non solùm potest, sed tenetur eam ducere. 20 Sponsalia dissolvuntur per Ordinis Sacri susceptionem. 21 Illicitè tamen ad Sacros Ordines ascendit, qui obstrictus est sponsalibus. 22 Sponsus, qui cum secunda fœmina contraxit matrimonium, ea mortua, tenetur ducere primam, cum qua priùs sponsalia contraxerat, si ipsa velit, & innupta sit. 23 Per secunda sponsalia, etiam jurata, non dissolvuntur priora. 24 Nec etiam, quando secundis sponsalibus accessit copula. 25 Qui post prima sponsalia contraxit de futuro cum alia, non obligatur ex vi posteriorum sponsalium, si prima cessent. 26 Sponsalia dissolvuntur per fornicationem sponsę vi oppressæ. 27 Si sponsus post sponsalia evaderet ebrietatibus, ac scortationibus deditus, daret sufficiens motivum sponsæ resiliendi à sponsalibus. 28 Asperitas morum, & sævitia, ac intractabilitas de novo cognita post sponsalia, dant sufficiens motivum alteri sponso resiliendi.

CONCLUSIO LI.

AD TEXT. IN CAP. *Cùm locum* 14. CAP. *Veniens* 15. ET CAP. *Consultationi* 28. eodem tit.

1 MATRIMONIUM bene definitur: *Conjunctio maritalis viri, & fœminæ inter habiles personas, individuam vitæ consuetudinem retinens.* 2 Dividitur in Legitimum, Ratum, & Consummatum. 3 Matrimonium consummatur etiam per copulam primo bimestri per vim extortam. 4 Licitum est matrimonium ad Morganaticam. 5 Inter baptizatos nequit consistere matrimonium, quod non sit Sacramentum. 6 Inter non baptizatos non est Sacramentum, quamvis hi sint Catechumeni. 7 Si verò unus sit fidelis, & ex dispensatione Pontificis contrahat cum infideli, adhuc non suscipit verum Sacramentum. 8 Cùm uterque conjux infidelis ad fidem convertitur, suscepto Baptismo, eorum matrimonium non transit in Sacramentum, quamvis addant novum consensum. 9 Validè contrahitur matrimonium inter absentes per procuratorem specialem, tam masculum, quam fœminam. 10 Debet commissio non esse revocata tempore, quo fit contractus. 11 Si mandans primò fictè consentit, &, antequam procurator contraheret, verè consentit, id ignorante procuratore, nullus fuit contractus postea per procuratorem celebratus. 12 Idem censeo, si primum consensum verum revocavit, & postmodum ante celebrationem contractûs per procuratorem verè consentit, procuratore inscio. 13 Procurator amens, aut ebrius non potest contrahere nomine principalis. 14 Valet matrimonium per procuratorem, etiamsi mandans incidat in amentiam, quando procurator contraxit. 15 Ambo, & soli contrahentes sunt veri ministri hujus Sacramenti, etiam quando contrahunt per procuratorem. 16 Matrimonium consummatum inter fideles est omnino indissolubile quoad vinculum, etiam in casu adulterii. 17 Per adulterium spirituale, quod committitur, quando alter ex conjugibus fidelibus à fide discedit, non dissolvitur vinculum matrimonii. 18 Quando conjux infidelis fidem amplectitur, altero in infidelitate permanente, dissolvitur matrimonium quoad vinculum, si infidelis noluerit cum fideli cohabitare, ideo solùm, quòd ad fidem conversus sit. 19 Idem asserendum, si noluerit cohabitare absque contumelia Creatoris. 20 Item, si fidelem inducat ad peccatum mortale. 21 Non leve dissidium est: An conjux conversus possit aliud matrimonium inire casu, quo altera pars converti nolit; sed tamen velit pacificè cohabitare, & absque ullo perversionis, & peccati periculo? Probabilior est resolutio negativa. 22 Summus Pontifex potest dissolvere matrimonium ratum baptizatorum. 23 Solus ille metus invalidat matrimonium, qui gravis est, & à causa libera injustè incussus. 24 Quod intelligendum est, etiamsi ita contrahens sua culpa inciderit in hunc metum. 25 Utrùm verò requiratur, ut metus eo fine incussus sit, ut extorqueatur matrimonium? Negativam sententiam amplectimur. 26 Nullitas matrimonii metu injusto extorti immediatè

refunditur in solum Jus Ecclesiasticum. 27 Qui metu injustè incusso extorsit nuptias, non tenetur inire matrimonium, etsi postea cum eo illud velit contrahere metum passus. 28 Excipe, nisi damnum illatum aliter reparari nequeat.

CONCLUSIO LII.

AD TEXT. IN CAP. *Tua* 1. CAP. *Literas* 4. CAP. *Accessit* 5. CUM ALIIS, *de Desponsatione Impuberum*, lib. 4. Decret. tit. 2.

1 D sponsalia de futuro requiritur septennium completum tam in masculis, quàm in fœminis. 2 Sponsalia contracta à minore septennio regulariter sunt invalida Jure Naturali. 3 Si malitia ætatem præveniat, valent sponsalia, etiam ante septennium inita, saltem de Jure Naturali. 4 Utrùm verò valeant etiam de Jure positivo? Placet resolutio affirmativa. 5 Quando non constat, quòd malitia suppleat ætatem, septennium pro sponsalibus requisitum debet esse physicè completum. 6 Maior difficultas est: Utrùm ad contrahenda sponsalia sufficiat, quòd ultimus dies septennii sit inceptus, & ita censeatur septennium completum? Probabilior mihi videtur sententia affirmativa. 7 Si duo impuberes contrahant sponsalia de futuro, non possunt resilire, quandiu impuberes sunt. 8 Si tamen pubertatem adepti sint, resilire pro libito suo possunt, etiam sine alia ratione. 9 In casu, quo duo impuberes contraxerunt sponsalia, licitum est illi resilire, qui citiùs pubertatem attigerit, etiam altero non expectato, si nolit in eum consentire. 10 Ut impubes factus pubes reclamando contra sponsalia in impubertate contracta, licitè resiliat, debet reclamare statim, & in continenti. 11 Statim autem, seu illico reclamare censetur, qui intra triduum reclamat, postquam agnovit, se pubertatem attigisse. 12 An verò sufficiat dissensus, & reclamatio interior, ut maneat liber in conscientia? Affirmamus. 13 Impuberes resilire possunt à sponsalibus juratis, adepta pubertate. 14 Si pubes contraxit sponsalia cum impubere, pubes non potest resilire, etiam de consensu impuberis, nisi detur justa causa resiliendi. 15 Quando parentes sponsalia contrahunt pro filiis impuberibus, non licet filiis resilire, quousque sint puberes, quoties sponsalia valida sunt. 16 Secus, si fuerunt invalida. 17 Ætas legitima ad matrimonium contrahendum est pubertas, sive annus 14 in masculis, & 12 in fœminis. 18 Quando non constat, quod malitia ætatem suppleat, annus 14 in masculis, & 12 in fœminis debet esse completus, ut possit matrimonium contrahi. 19 Sufficit tamen pro masculis, quòd ultimus dies anni 14. & pro fœminis 12. sit inceptus, ut habeatur pro completo. 20 Pubertas solo Jure Ecclesiastico ad valorem matrimonii requiritur. 21 Validum est matrimonium ante annos pubertatis contractum, nulla prævia dispensatione, si malitia ætatem præveniat. 22 Contractus matrimonialis initus ab impuberibus, in quibus ætatem malitia non supplet, à gravi culpa excusari non potest. 23 Excipitur casus urgentissimæ necessitatis. 24 Matrimonia à filiis contracta, parentibus inconsultis, vel etiam invitis, de facto sunt valida. 25 In iis circumstantiis, in quibus matrimonium potest licitè contrahi, invitis, & contradicentibus parentibus, valida sunt sponsalia absque illorum consensu inita. 26 Regulariter non tenetur filius implere sponsalia, quæ absque suo consensu pater promisit. 27 Quando multum interest parentum, ut filius tale matrimonium ineat, tenetur filius sub lethali culpa obedire patri illud præcipienti. 28 Filii obligantur ad expetendum regulariter consensum parentum circa matrimonium; non tamen obstringuntur ad consilium illorum sequendum.

CONCLUSIO LIII.

AD TEXT. IN CAP. *Cum inhibitio* 3. ET FIN. *de Clandestina Desponsatione*, lib. 4. Decret. tit. 3.

1 ATRIMONIUM propriè clandestinum nunquam fuit irritum, & invalidum in Ecclesia ante Tridentinum. 2 Semper tamen fuit illicitum, & prohibitum ex præcepto Ecclesiæ. 3 Præsentia Parochi, & testium in contractu matrimonii requiritur, ut forma substantialis, & intrinseca. 4 Hinc sequitur, in nullo casu validum esse matrimonium absque Parocho, & testibus celebratum à fidelibus baptizatis in locis, ubi publicatum, & receptum est Tridentinum. 5 Non valet matrimonium clandestinè contractum ab iis, qui ignorant invincibiliter legem Tridentini. 6 Rogabis: Utrùm matrimonium clandestinum inter puberes habeat saltem vim sponsalium de futuro? Negativæ sententiæ adhæremus. 7 Ex matrimonio clandestino puberum oritur impedimentum publicæ honestatis. 8 Qui semel coram Parocho, & testibus cum occulto impedimento dirimente invalidè contraxit, validè contractum renovabit absque nova Parochi, & testium præsentiâ. 9 Defectum Parochi non supplet quicunque numerus testium. 10 Peregrini invalidè contrahunt matrimonium absque præsentia Parochi, & testium in Parochia, per quam transeunt, si in eâ receptum sit Tridentinum, licèt in propria Diœcesi non esset receptum. 11 Si incolæ locorum, in quibus Tridentinum receptum est, se transferant in locum, ubi non est receptum,

ptum, animo figendi ibidem domicilium, validè contrahunt absque Parocho, & testibus. 12 Difficultas est: An valeat matrimonium sine Parocho, & testibus, si uterque sponsus ex loco Concilii recepti se conferat ad locum Concilii non recepti, præcisè animo clandestinè contrahendi, mox rediturus? Asserimus, non valere in hoc casu matrimonium clandestinè contractum. 13 Ad valorem matrimonii necessariò requiritur assistentia proprii Parochi, vel alterius Sacerdotis de ejus licentia. 14 Quando contrahentes sunt ex diversis Parochiis, non requiritur, quòd uterque Parochus assistat; sed sufficit, si assistat Parochus proprius alterutrius, sponsi scilicet, vel sponsæ, in cujus Parochia nuptię celebrantur. 15 Parochus solius originis non censetur proprius ad assistendum matrimonio. 16 Sufficit Parochus quasi domicilii. 17 Qui habet duplicem Parochiam habitationis, potest indifferenter coram alterutro Parocho matrimonium inire. 18 Parochus existens extra propriam Parochiam potest validè assistere matrimonio suorum subditorum; sicut etiam dare licentiam assistendi. 19 Proprius vagorum Parochus in ordine ad matrimonium contrahendum est ille, in cujus Parochia actu versantur. 20 Validum est matrimonium, cui assistit Parochus non Sacerdos. 21 Ille, cui Parochus, sive Sacerdos, sive non, committit licentiam assistendi, debet esse Sacerdos, ut valeat matrimonium. 22 Validè assistit matrimonio proprius Parochus, licèt sit excommunicatus vitandus, suspensus ab Officio, & Beneficio, irregularis, vel administratione interdictus, modò non sit actualiter depositus. 23 Idem dicendum est, si Parochus det licentiam Sacerdoti excommunicato, suspenso, non tolerato, vel degradato ad assistendum matrimonio. 24 Sed gravis difficultas est: An Parochus excommunicatus vitandus, vel suspensus possit dare licentiam alteri Sacerdoti ad assistendum validè matrimonio? Respondemus affirmativè. 25 Validum est matrimonium, cui assistit Parochus purè existimatus, qui ex titulo colorato communi errore putatur esse Parochus. 26 Secus dicendum est de Parocho intruso, & sine titulo, qui communi errore putatur esse verus Parochus.

CONCLUSIO LIV.

AD TEXT. IN DICTO CAP. *Cum inhibitio*, eod. tit.

1 

D matrimonii valorem non requiritur, quòd licentia ad assistendum concedatur in particulari, aut in scriptis; sed verbo tenus, & generaliter concedi poterit. 2 An autem in concessione ministrandi omnia Sacramenta intelligatur concessa talis licentia? Affirmamus. 3 Valida est assistentia matrimonialis ex licentia per metum gravem extorta. 4 Sufficit licentia per fraudem, aut dolum extorta, si fraus, vel dolus non versetur circa causam motivam, sed impulsivam. 5 Utrùm autem sufficiat licentia tacita? Respondeo, sufficere licentiam tacitam, quæ antecedat matrimonium; non sufficere tamen tacitam, quæ subsequatur matrimonium, & vocatur ratihabitio. 6 Ad valorem matrimonii non requiruntur testes omni exceptione maiores. 7 Requiritur præsentia moralis, & non sufficit merè physica, seu corporalis, tam Parochi, quàm testium. 8 Sufficit præsentia Parochi, & testium per vim, vel dolum habita. 9 Validè matrimonio assistunt Parochus, & testes non rogati, nec specialiter adhibiti, dummodo advertant, quid agatur. 10 Ante matrimonium ex præcepto Ecclesiæ obligante sub gravi præmittendę sunt denuntiationes de illo contrahendo. 11 Quamvis Parochus certò sciret, nullum subesse impedimentum, & hîc, & nunc non esse periculum, adhuc obligaretur prædictâ lege, & præcepto præmittendi denuntiationes. 12 Omittere unam denuntiationem, quando Parochus est certus, quòd non sit impedimentum, non est mortale. 13 Contrahentes sine denuntiationibus non solùm peccant contrahendo, sed etiam consũmando matrimonium. 14 In casibus, in quibus Episcopus tenetur dispensare, si nolit, possunt contrahentes inire matrimoniũ, & Parochus, & testes ei assistere sine peccato, omissis denuntiationibus. 15 Idem dicendum est, si Ordinarius non possit facilè adiri, & est periculum in mora. 16 Non est invalidum matrimonium, si denuntiationes omittantur. 17 Quilibet, per se loquendo, tenetur sub peccato mortali non solùm ex præcepto Ecclesiæ, sed etiam Divino, & Naturali manifestare impedimentum, quod novit inter volentes contrahere. 18 Ad manifestationem impedimenti obligatur, qui illud sub secreto novit extra confessionis sigillum, etiamsi secretum esset juramento firmatum. 19 Ille, qui solus novit impedimentũ, tenetur illud manifestare. 20 Etiam tenetur denuntiare impedimentum ille, qui illud audivit à persona fide digna, ea non denuntiante. 21 Secus dicendum, si persona, à qua audivit, non est fidedigna. 22 Contrahentes interrogati, an sint aliquo impedimento irretiti, tenentur fateri veritatem, quâvis impedimentũ sit occultũ, & infamatoriũ, vel saltẽ desistere à matrimonio. 23 Si impedimentũ opponatur, potest Parochus matrimonium impedire; non autem de impedimento cognoscere; sed res deferenda est ad Ordinarium, ut de illo cognoscat. 24 Quod intelligendum est, etiamsi esset impedimentum tantùm impediens. 25 Quando Parochus, vel Ordinarius novit impedimentum, & simul etiam novit impeditos obtinuisse dispensationem in illo pro foro interno conscientiæ, possunt sic impeditos conjungere matrimonio, si nullus denuntiet. 26 Parochus, qui impedimentum ab altero contrahentium intellexit in ipsa confessione Sacramentali, potest, & debet illum monere in confessione, ut à contractu matrimonii desistat. 27 Si monitionem contemnat, debet negare absolutionem, tanquam indisposito. 28 Non potest tamen assistentiam suam illi denegare, si matrimonium contrahere nihilominus velit.

CON-

CONCLUSIO LV.

AD TEXT. IN CAP. *Duobus* 1. CAP. *Accepiſti* 2. ET CAP. FIN. *de Sponſa duorum*, lib. 4. Decret. tit. 4.

1 IMPEDIMENTUM ligaminis definitur: *Vinculum prioris matrimonii, quo durante, poſterius irritum eſt.* 2 Ex ſponſalibus de futuro non conſurgit hoc impedimentum. 3 Si matrimonium fictè, & animo non contrahendi, aut non ſe obligandi initum fuerit, in foro conſcientiæ, non inducit impedimentum ligaminis. 4 In foro tamen externo, niſi probetur fictio, hujuſmodi matrimonium præſumitur verè, & validè contractum; & ſic in eodem foro præſumitur etiam induxiſſe impedimentum ligaminis. 5 Effectus primarius impedimenti ligaminis eſt, ut impediat matrimonium contrahendum, & dirimat contractum. 6 Unde, ſiquis cum duabus de præſenti contraxerit, ei adhærere debet, cum qua priùs contraxit, etſi carnaliter illam non cognoverit. 7 Imò, quamvis ſecundam priùs cognoverit. 8 Nulla contraria conſuetudo poteſt abrogare hujuſmodi impedimentum. 9 Qui ſecundas nuptias attentant, durante primo matrimonio, de Jure Civili incurrunt pœnam infamiæ. 10 Quæ autem pœna de Jure Canonico incurratur? Interroganti dabimus. 11 Ligamen dirimit matrimonium poſterius, non ſolùm Jure Eccleſiaſtico, ſed etiam Jure Divino. 12 Pluralitas uxorum reſpectu unius viri non ſolùm eſt contra Jus Eccleſiaſticum, & Divinum, ſed etiam contra Jus Naturale, non primarium, ſed ſecundarium. 13 Pluralitas virorum reſpectu unius uxoris nunquam fuit licita, nec tale matrimonium unquam fuit validum. 14 Nihilominus adhuc poterit Deus, ſi velit, diſpenſare, ut hujuſmodi nuptiæ unius mulieris cum pluribus viris poſſint ſubſiſtere. 15 Secundum matrimonium, ſtante matrimonio priùs contracto, invalidum eſt, etſi primum ratum ſolummodo ſit, & ſecundum conſūmatum. 16 Non poteſt Summus Pontifex condere legem, ut matrimonium ratum, & non conſummatum dirimatur per ſubſequens matrimonium carnali copula conſummatum. 17 Non poteſt polygamia fieri licita per diſpenſationem Apoſtolicam. 18 Validum eſt matrimonium contractum ab eo, qui falſò credebat vivere priorem uxorem, quæ re vera mortua eſt, ſi contrahens haberet animum contrahendi, quantùm poterat. 19 Secus dicendum, ſi non haberet hujuſmodi intentionem. 20 Uxor, quæ contraxit matrimonium cum ſecundo viro, credens primum eſſe mortuum, tenetur recedere à ſecundo, poſtquam cognovit priorem virum ſuperſtitem eſſe.

CONCLUSIO LVI.

AD TEXT. IN CAP. *De illis* 3. CAP. *Super eo* 5. CAP. *Per tuas* 6. ET CAP. FIN. *de Conditionibus appoſitis in Deſponſatione, vel in aliis Contractibus*, lib. 4. Decret. tit. 5.

1 CONDITIO de præſenti, vel præterito adjecta matrimonio illius valorem non ſuſpendit. 2 Si talis conditio impleta ſit, matrimonium ſtatim valet, etiamſi contrahentes ignorent impletam eſſe. 3 Si impleta non ſit, matrimonium non convaleſcit per copulam ſubſequentem. 4 Quod intelligendum eſt poſt Tridentinum, & in locis, ubi ejus decretum de matrimonio clandeſtino receptum eſt. 5 Si matrimonium contrahatur ſub conditione de futuro neceſſario, ſtatim producit obligationem. 6 Idem aſſerendum, quando appoſita eſt conditio contingens, ſed quæ infallibiliter eſt eventura, qualis eſt, *Si Antichriſtus venerit*. 7 Si contrahentes exiſtiment, conditionem, quæ re vera eſt neceſſaria, eſſe contingentem, ſuſpenditur contractus uſque ad adventum conditionis. 8 Item, ſi talis conditio apponatur ad deſignandum tempus, in quo contrahentes volunt valere contractum, vel matrimonium, non valet contractus, ſeu matrimonium ante adventum conditionis. 9 Conditiones generales, quæ inſunt omnibus contractibus, illos non ſuſpendunt. 10 Conditio honeſta de futuro contingente ſuſpendit valorem ſponſalium, & matrimonii ſub tali conditione contracti. 11 Ut ſponſalia, poſita conditione, obligent, non eſt opus novo conſenſu, niſi interea revocatus ſit conſenſus prior. 12 Idem cenſeo de matrimonio. 13 Adhuc poſt Tridentinum non requiritur ad valorem matrimonii, quòd Parochus, & teſtes interſint impletioni conditionis; ſed ſufficit, quòd interfuerint contractui matrimonii ſub hujuſmodi conditione celebrati, etiamſi de impletione conditionis non conſtet publicè. 14 Quando aliquis cum conditione de futuro contraxit ſponſalia cum duabus, prævalent priora. 15 Ex duobus matrimoniis conditionatè initis prævalet id, cui adjecta conditio priùs impleta eſt. 16 Conditio impoſſibilis non obſtat valori matrimonii, ſed per Eccleſiam habetur pro non adjecta, niſi contrahentes ignoraverint eam eſſe impoſſibilem, vel neſciverint ſic conſtitutum ab Eccleſia, aut aliunde poſſit colligi, quòd ſeriò illam adjecerint. 17 Utrùm verò conditio impoſſibilis habeatur etiam pro non adjecta in ſponſalibus? Negantibus ſubſcribimus. 18 Conditio, *ſi Pontifex diſpenſaverit*, non obſtat valori contractûs ſponſalitii inter perſonas impeditas. 19 Nemini igitur ex contrahentibus

ſub

ſub tali conditione licitum eſt reſilire, altero nolente. 20 Non tenetur diſpenſationem procurare, qui promiſit matrimonium, *ſi Pontifex diſpenſaverit.* 21 Conditiones turpes de præſenti, & de præterito non rejiciuntur à contractu matrimonii. 22 Cōditiones turpes de futuro, quæ non ſunt contrariæ ſubſtantię matrimonii, vel ejus bonis, reputandę ſunt pro non adjectis, quando dubium eſt, quo animo ſint adjectæ. 23 Conditiones turpes in ſponſalibus non habentur pro non adjectis, niſi ſint contrariæ ſubſtantiæ matrimonii. 24 Non vitiatur matrimonium contractum ſub ea conditione, ut liceat ante conſummationem ingredi Religionem. 25 Validum eſt matrimonium, cui adjectus eſt modus impoſſibilis, v. g. *Contraho tecum eâ lege, ut digito cœlum tangas.*

CONCLUSIO LVII.

AD TEXT. IN CAP. *De Diacono* 1. CAP. *Ex literarum* 2. CAP. *Meminimus* 3. ET CAP. FIN. *Qui Clerici, vel voventes matrimonium contrahere poſſunt*, lib. 4. Decret. tit. 6.

1 RDO Sacer liberè ſuſceptus non Jure Naturali, nec Divino, ſed ſolo Jure Eccleſiaſtico dirimit matrimonium contrahendum. 2 Ille, qui Ordinem Sacrum invalidè ſuſcepit propter aliquem defectum ſubſtantialem, non contrahit obligationem voti ſolemnis, quo irritatur matrimonium poſtea contrahendum. 3 Dubium eſt: An ſaltem teneatur ad continentiam ex voto ſimplici, qui exiſtimans ſe validè ordinatum, à parte rei eſt invalidè ordinatus? Reſpondemus negativè. 4 Utrùm verò obligetur voto Caſtitatis ille, qui ad Sacros Ordines accedit, & ſciens illi annexum eſſe votum Caſtitatis illud poſitivè reſpuit, ſeu non vult ad votum Caſtitatis ſe obligare? Reſpondeo, non teneri ratione voti præciſè, ſed ex ſtatuto Eccleſiæ. 5 Qui ad Sacrorum Ordinum ſuſceptionem inductus eſt metu gravi injuſtè incuſſo, ſi continentiæ votum, & obligationem intentione ſua non excluſit, inhabilis eſt ad matrimonium validè ineundum, ſeclusâ diſpenſatione. 6 Conjugatus, invita uxore, nec etiam ad primam Tonſuram, vel Minores Ordines promoveri poteſt. 7 Secus dicendum, volente, & conſentiente uxore. 8 Uxor, qua volente, & conſentiente, maritus ad Sacrum Ordinem promotus eſt, ſi ſenex ſit, & de incontinentia non ſuſpecta, votum continentiæ debet emittere. 9 Si verò juvenis, vel ſuſpecta de incontinentia, tenetur Religionem ingredi, & profiteri. 10 Quòd ſi vir aſſumatur ad Epiſcopatum, non ſufficit, quòd in ſęculo emittat votum Caſtitatis, quamvis ſit ſenex; ſed debet ingredi Religionem. 11 Uxor, quæ, voto Caſtitatis emiſſo, licentiam conceſſit marito Ordinem Sacrum aſſumendi, redditur inhabilis ad matrimonium ineundum, etiam poſt mortem mariti. 12 Profeſſio ſolemnis in Religione approbata dirimit matrimonium, non ſolùm contrahendum, ſed etiam contractum, ſi ratum tantummodo ſit. 13 Vis dirimendi matrimonium contrahendum in Profeſſione Religioſa deſcendit ex ſolo Jure Eccleſiaſtico. 14 Ex eodem Jure deſcendit etiam vis dirimendi matrimoniū ratum antea contractum. 15 Certum eſt, vota ſimplicia in Societate JESU poſt Novitiatum emiſſa dirimere matrimonium contrahendum, quandiu nō diſſolvuntur. 16 Utrùm verò habeant etiam vim dirimendi matrimoniū ratum antea contractum? Negativè reſolvimus. 17 Matrimonium ratum baptizatorum non diſſolvitur per votum ſolemne Caſtitatis annexum Ordini Sacro. 18 Si conjux poſt matrimonium ratum profeſſus Religionem eſt, uxor relicta in ſęculo validè, & licitè aliud matrimonium poteſt contrahere. 19 Si poſt conſummatum matrimonium cum uxoris conſenſu ad Religionem tranſiit, eamque profeſſus eſt, non poteſt uxor poſt mortem conjugis aliud matrimonium licitè contrahere. 20 Si quæras: An eadē uxor ad ita contrahendū poſt mortem mariti reddatur omnino inhabilis? Reſpondemus negativè.

CONCLUSIO LVIII.

AD TEXT. IN CAP. *Propoſitum* 1. CUM ALIIS, *De eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium*, lib. 4. Decret. tit. 7.

1 MPEDIMENTUM criminis ſolo Jure Eccleſiaſtico inductum eſt. 2 Hinc infertur, non habere locum inter infideles. 3 Si adſit homicidium alterius conjugis ab utroque perpetratum animo contrahendi matrimonium, etiam ſine adulterio, eſt impedimentum dirimens. 4 Ut hoc impedimentum contrahatur, ſufficit cooperari ad mortem conjugis conſilio, aut mandato. 5 Non ſufficit ſola ratihabitio occiſionis alteri conjugi illatæ ad impedimentum hoc inducendum. 6 Hoc impedimentum non ſolùm inducitur, quando vir occidit uxorem per ſe, vel per alium, ſed etiam, quando uxor ipſa, altero etiam machinante, occidit virum intentione contrahendi matrimonium. 7 Homicidium cum adulterio dirimit matrimonium ſubſequens cum adultera, ſi homicidium fiat animo matrimonium ineundi cum adulterii complice. 8 Si cum adulterio jungatur promiſſio contrahendi cum adultera poſt mortem conjugis, irritum eſt matrimonium poſtea contractum cum ipſo adultero. 9 Non inducitur hoc impedimentum, ſi matrimonium peccantis erat invali-

invalidum. 10 Item non datur hoc impedimentum, si copula inter adulteros non sit consummata. 11 Idem dicendum, si uterque, vel unus ex peccantibus nesciat se committere adulterium. 12 Non tamen excusat ignorantia supina, & crassa. 13 Si detur adulterium ante scientiam matrimonii, & postea, illo cognito, accedat promissio matrimonii, non inducitur hoc impedimentum. 14 Secus dicendum, si promissio interveniat, non cognito matrimonio, & post illud cognitum sequatur adulterium. 15 Non datur hoc impedimentum, si tam promissio, quàm adulterium non interveniant, constante eodem matrimonio. 16 Promissio matrimonii debet esse acceptata. 17 Non censetur acceptare, qui tacet. 18 Item promissio ficta non est sufficiens. 19 Non requiritur mutua promissio; sed sufficit, quòd unus verè promittat, modò alter acceptet. 20 Ex promissione cum conditione de futuro ante ipsius eventum non oritur hoc impedimentum. 21 Excipiendus tamen est casus, in quo aut in promissarii potestate esset conditionem suo tempore implere, aut ipse certus esset, eam implendam. 22 Adulterium conjunctum cum matrimonio dirimit matrimonium subsequens cum adultera. 23 Non leve dissidium est: Utrùm impedimentum criminis incurratur ab ignorante? Probabilis est sententia negativa.

CONCLUSIO LIX.

AD TEXT. IN CAP. *Dignum est* 1. CAP. *Ad nostram* 4. ET FIN. *de Conjugio servorum*, lib. 4. Decret. tit. 9.

1 MATRIMONIUM liberi cum ancilla, vel liberæ cum servo, ignorata conditione servili, est nullum. 2 Ut servitus matrimonium dirimat, debet esse strictè talis. 3 Error conditionis servilis dirimit matrimonium Jure Civili, & Canonico. 4 Non tamen Jure Naturali. 5 Non valet matrimonium liberi cum ancilla, quamvis ignorantia conditionis servilis sit crassissima. 6 Difficultas est: An idem dicendum sit etiam in casu, quo quis ignoranter contrahit cum ancilla, est tamen ita affectus, ut, si sciret esse ancillam, adhuc contraheret? Tenenda est resolutio affirmativa. 7 Servitus superveniens matrimonio non illud annullat. 8 Validum est matrimonium, quod persona libera contrahit cum persona servili, si eam talem esse cognoscat. 9 Servus validè contrahit cum serva, quam putabat liberam. 10 Item validum est matrimonium, quod liber contraheret cum liberâ, quam credebat servam. 11 Idem asserimus, si servus contrahat cum liberâ, quam servam esse putabat, dummodo huic constiterit de conditione servi. 12 Mancipium non solum validè, sed etiam licitè potest contrahere matrimonium, invito domino. 13 In tali autem statu non eximitur ab obsequiis consuetis domino præstandis. 14 Si servus nondum contraxit sponsalia, integrum est domino illum in partes longinquas vendendum mittere. 15 Si sponsalia contracta essent ex voluntate, & licentia domini, non potest servus vendi à domino in eas partes, ad quas eum conjux enmmodè sequi non potest. 16 Idem censeo, si sponsalia contracta essent absque licentia domini. 17 Maius dubium est: An post matrimonium contractum possit dominus servum vendere in longinquam provinciam, in qua ob distantiam petitio, & redditio debiti impediatur? Respondeo, peccare mortaliter, non solùm contra charitatem, sed etiam contra justitiam, si absque necessitate gravi id faciat. 18 Qnando dominus proprium servum, aut ancillam, etiam absque dolo, tradit liberæ in matrimonium nescienti servitutem, nec eam detegit, eo ipso talis servus, aut ancilla favore matrimonii manumittitur, & consequitur libertatem. 19 Idem est, si dominus videns tale matrimonium fieri (studiosè tamen, & cum dolo) taceat, nec erranti libero alterius servitutem detegat. 20 Si dominus pro suo servo, aut serva conficiat instrumenta dotalia, aut dotem, consequitur libertatem servus, aut serva, quamvis parti ingenuæ constet de ejus servitute. 21 Hęc tamen extendenda non sunt ad adscriptitios, & servos minus strictè acceptos. 22 Similiter dominus servam libertati adscribit, si ipse eam ducat. 23 Utrùm verò in iis casibus sit validum matrimonium cum ignorantia servitutis? Affirmamus. 24 Validum est matrimonium liberi cum eâ ancilla, quę actu libera est, sed per libertatem concessam pro determinato tempore.

CONCLUSIO LX.

AD TEXT. IN CAP. *Veniens 6. de Cognatione spirituali*, lib. 4. Decret. tit. 11.

1 IMPEDIMENTUM cognationis spiritualis inductum est solo Jure Ecclesiastico, non Naturali, vel Divino. 2 Oritur ex sola collatione, & susceptione Baptismi, & Confirmationis, non verò aliorum Sacramentorum. 3 Dirimit matrimonium contrahendum, non verò contractum. 4 Cognatio spiritualis Jure antiquo Decretalium triplex fuit, videlicet Paternitas, Compaternitas, & Fraternitas. 5 Jure novo Tridentini cognatio hæc restricta est. 6 Dicam, inter quas personas hoc Jure contrahatur. 7 Infidelis baptizans, vel suscipiens in Baptismo, vel Confirmatione filium fidelis, non contrahit cognationem spiritualem cum persona baptizata, vel confirmata, &

ejus

ejus parentibus. 8 Nec fidelis baptizans, vel confirmans, aut tenens filium infidelis, contrahit cognationem cum patre, vel matre infideli. 9 Utrùm vero, si postea prolis baptizatæ pater Sacramentum Baptismi suscipiat, ex eo tempore censeatur cognationem spiritualem contraxisse cum persona baptizante, confirmante, & Patrinis suæ prolis baptizatæ? Negativè resolvimus. 10 Ad contrahendam cognationem spiritualem necesse est Baptismum, & Confirmationem validè conferri. 11 Si fidelis non confirmatus sit Patrinus in Baptismo, contrahit cognationem spiritualem cum persona baptizata, ejusque parentibus. 12 Secus dicendum, si sit Patrinus in Confirmatione. 13 Non impeditur à petitione debiti pater baptizans, vel suscipiens prolem uxoris, vel communem in necessitate. 14 Idem asserendum, si proprium filium, etiam extra necessitatem, baptizet, vel ex Baptismo, aut Confirmatione suscipiat, per ignorantiam probabilem Juris, aut facti. 15 Pater, qui propriam prolem ex fornicatione susceptam, etiam in necessitate baptizat, non potest ducere prolis matrem. 16 Gravis controversia est: An debiti conjugalis exigendi jure privetur conjux, si extra necessitatem, scienter, & ex malitia baptizet, aut teneat, tanquam Patrinus in Baptismo, vel Confirmatinne, communem filium, aut alterius conjugis? Tenenda est resolutio negativa. 17 Nnn contrahit cognationem spiritualem pater, nec proinde privatur jure exigendi debitum, qui materialiter tantùm teneret prolem uxoris, aut suam communem, ut commodiùs baptizetur. 18 Impedimentum cognationis spiritualis incurritur etiam à laico baptizante privatim, & in necessitate aliquem extraneum, qui non est ipsius filius. 19 Idem impedimentum contrahit tenens puerum in Baptismo non solemniter ministrato, si habeat animum obeundi munus Patrini, prout ab Ecclesia institutum est, & subeundi illius obligationem. 20 Certum est, munus Patrini peragi posse per procuratorem. 21 Probabilius est, in hoc casu cognationem spiritualem nnn contrahi à procurature, sed à principali. 22 Solus Pontifex potest dispensare in impedimento cognationis spiritualis.

CONCLUSIO LXI.

AD TEXT. IN CAP. UNICO *de Cognatione legali*, lib. 4. Decret. tit. 12.

1 COGNATIO legalis communiter definitur: *Propinquitas personarum ex adoptione proveniens.* 2 Adoptio verò, ex qua consurgit cognatio legalis, est *Actus legitimus, per quem is, qui natura non est, assumitur in filium, aut nepotem.* 3 Adoptio duplex est: una perfecta, per quam adoptatus transit in potestatem adoptantis, diciturque *Arrogatio*: altera imperfecta, per quam non transit adoptatus in potestatem adoptantis, & dicitur *Simplex adoptio.* 4 Certum est, cognationem legalem, quæ oritur ex adoptinne perfecta, inducere impedimentum dirimens matrimonium. 5 Difficultas est: An cognatio legalis, quæ oritur ex adoptione imperfecta, inducat etiam hoc impedimentum? Probabilior est sententia negativa. 6 Cognatio legalis dirimit matrimonium inter adoptantem, & adoptatũ, ejusque descendentes, qui in ejus potestate erant, quando facta fuit adoptio. 7 Hoc impedimentũ perpetuò durat, facta adoptione. 8 Item dirimit matrimonium inter filias adoptantis, & adoptatum. 9 Quod tamen impedimentum cessat, soluta adoptione. 10 Hoc impedimẽtum non datur, nisi inter filias legitimas adoptantis, & adoptatum. 11 Cognatio legalis dirimit tandem matrimnnium inter adoptantem, & uxorem adoptati; & inter adoptatũ, & uxorem adoptantis. 12 Impedimentum oriens ex hac legali affinitate nunquam cessat. 13 Si quæras: An hoc impedimentũ superveniens matrimonio contracto impediat debiti petitionem? Respondemus negativè. 14 Cognatio tamen legalis superveniens sponsalibus ea dirimit. 15 Hoc impedimentum solo Jure humano inductum est. 16 Hinc sequitur, infideles cum eo contrahentes non esse separandos post Baptismum. 17 Adoptione durante, potest consistere matrimonium inter adoptantem, & adoptati matrem. 18 Item inter adoptantem, & filiæ adoptivæ filiam. 19 Item inter adoptantem, & filiam illegitimam filii adoptivi. 20 Præterea inter filium, & filiam duorum fratrum adoptivorum. 21 Insuper inter duos adoptivos, seu qui adoptati sunt ab eodem parente. 22 In impedimento cognationis legalis solùm potest dispensare Summus Pontifex. 23 In linea recta, & in affinitate legali dispensat difficillimè, & nonnisi ex gravi causa. 24 In linea transversali dispensatio raròpostulatur.

CONCLUSIO LXII.

AD TEXT. IN CAP. *Ex literis* 1. CUM ALIIS, *de Consanguinitate, & affinitate*, lib. 4. Decret. tit. 14.

1 CONSANGUINITAS rectè definitur: *Vinculum personarum ab eodem proximo stipite descendentium, carnali propagatione contractum.* 2 Matrimonium in primo gradu consanguinitatis in linea recta est irritum Jure Naturæ; atque adeo neque potest consistere inter patrem, & filiam, neque inter filium, & matrem. 3 Si solus pater, & filia, aut sola mater, & filius in mundo superessent, licitum esset, & validum tale matrimonium. 4 Probabilius est, Jure Naturæ solùm irritari matrimonia inter

ter ascendentes, & descendentes in primo gradu, non verò in aliis. 5 Neque Jure Ecclesiastico irritũ est matrimoniũ inter consanguineos in linea recta ultra quartũ gradum. 6 In linea transversa nullum matrimoniũ est Jure Naturali irritum, etiam contractum inter fratrem, & sororem. 7 Jure Ecclesiastico in hac linea irritum est conjugium usque ad quartum gradum inclusivè. 8 Affinitas sic definitur: *Propinquitas personarum ex carnali copula proveniens.* 9 Maritus, & uxor non sunt inter se propriè affines, sed principium affinitatis, & quasi stipes, ex quo affinitatis gradus numerantur, & distinguuntur. 10 Neque ex sponsalibus de futuro, neque ex matrimonio oritur affinitas propriè dicta. 11 Affinitas oritur non solùm ex copula licita, sed etiam ex illicita. 12 Copula, ex qua oritur affinitas, sive talis copula sit matrimonialis, sive fornicaria, debet esse completa, & perfecta, & talis, quæ ex sua natura sit sufficiens generationi, & qua matrimonium consummetur. 13 Ad contrahendam affinitatem sufficit copula habita cum fœmina dormiente, ebria, amente, coacta, etiamsi copula sit occultissima. 14 Affinitas, quæ oritur ex copula conjugali, non est merum Ecclesiæ inventum, sed quid naturale. 15 Etiam vinculum ex copula illicita est naturale. 16 Affinitas ex copula licitâ dirimit matrimonium usque ad quartum gradum, & ex illicita usque ad secundum. 17 Affinitas in primo gradu lineæ transversalis non dirimit matrimonium Jure Naturali. 18 Maior difficultas est: An affioitas in primo gradu lineæ rectę Jure Naturali dirimat matrimonium? Probabilior est sententia negativa. 19 Affinitas superveniens matrimonio legitimè contracto non illud dirimit. 20 Qui commisit incestum voluntariè, & liberè, & scienter cum consanguinea uxoris suę in primo, vel secundo tantùm gradu, privatur jure petendi debitum; tenetur tamen reddere. 21 Peccat mortaliter conjux incestuosus, petens debitum, dum est privatus jure petendi.

CONCLUSIO LXIII.

AD TEXT. IN CAP. *Accepisti* 1. CUM ALIIS, *de Frigidis, & maleficiatis, & impotentia coeundi*, lib. 4. Decret. tit. 15.

1 IMPOTENTIA temporalis ad coeundum non dirimit matrimonium futurum, quamvis dicta impotentia ignoretur ab altero conttahente. 2 Impotentia perpetua, quæ est absoluta, & antecedens contractum matrimonii, illud dirimit respectu omnium, quacunque ex causa orta fuerit hujusmodi impotentia perpetua. 3 Si mulier, quæ cum impotentia perpetua contraxit matrimonium, postea per miraculum sanetur, adhuc manet invalidum illud matrimonium, nisi vir ejus per novum consensum denuo cum illa contrahat. 4 Secus dicendum, si mulier pet maleficium sit reddita impotens, & per ordinarios Ecclesiæ Exorcismos postea sanetur. 5 Impotentia generandi, sive sterilitas non inducit impedimentum impotentiæ, dummodo adsit potentia ad habendum copulam perfectam. 6 Mulier, quæ non potest parere sine periculo vitę, vel nonnisi fœtum mortuum, validè contrahit matrimonium. 7 Impotentia perpetua superveniens matrimonio non dirimit matrimonium consummatum. 8 Imò nec ratum. 9 Quæres: Utrùm vita socialis inter impotentes inita, cognita ab initio impotentia, verum matrimonium sit, aut esse de Jure possit? Respondemus negativè. 10 Impotentia perpetua, si sit antecedens, dirimit matrimonium Jure Naturali. 11 Vir potest adversus matrimonium proclamare, quamvis ex parte ipsius impotentia se teneat. 12 Idem dicendum de fœmina ex causa suæ impotentiæ. 13 Mulieri alleganti impotentiam viri sui, transacto bimestri, à matrimonio contracto, & copulâ attentatâ, deneganda est audientia, non quidem absolutè, sed ad triennium usque. 14 Excipe, nisi per signa evidentia, aut certa, aut verosimiliter evidentia velit probare impotentiam viri. 15 Transacto triennio, conceditur mulieri audientia, tametsi per signa dubia impotentiam probare intendat. 16 Triennium præscriptum pro impotentiæ experientiâ computandũ est ab ipsa attentatione copulæ, spectato Juris rigore. 17 Hoc triennium debet esse moraliter continuum, non autem physicè. 18 Conjux potens non potest recedere propria authorite ab impotente; sed requiritur authoritas Ecclesiæ. 19 Si conjux propria authoritate recedat ob impotentiam alterius, non est restituendus alteri conjugi, si in continenti offerat probationes certas, & evidentes de impotentia. 20 Si probationes non sint certæ, & evidentes, restituendus erit non solùm ad mutua obsequia, & cohabitationem, sed etiam ad petendum, & reddendum debitum. 21 Quòd si propria authoritate recesserit post elapsum triennium, non erit statim restituendus; sed admitti debent exceptiones impotentiæ, ut examinentur ad sententiam ferendam. 22 Dissoluto matrimonio ratione frigiditatis viri, si is ad aliud transeat, statim posterius dissolvendum est. 23 Idem dicendum, quando matrimonium suit dissolutum ob arctitudinem absolutam ex parte fœminæ, & postea inveniatur cum altero consummasse matrimonium, vel fornicationem. 24 Si alter conjux professus est, vel vult profiteri, quando error impotentiæ inventus est, nulla restitutio facienda est.

CON-

tionis, denuntiatores, & testes, dummodo pœnam sanguinis non exequantur. 16 Assessor Judicis Ecclesiastici, vel Sæcularis, si sententiam sanguinis profert, est irregularis. 17 Accusans, vel denuntians in causa sanguinis est irregularis, si ex vi accusationis, vel denuntiationis mors, aut mutilatio sequatur. 18 Irregulares sunt omnes Ministri publici, qui ad prolationem sententiæ sanguinis, & ejus executionem concurrunt. 19 Testis voluntariè testificans in causâ, sive criminali, sive civili, ita ut ex ejus testificatione sequatur rei mors, vel mutilatio, est irregularis. 20 Advocatus, & procurator accusantis sunt irregulares, si reus ex eorum advocatione, & procuratione morte plectatur, aut mutiletur. 21 Non fit irregularis confessarius denegans absolutionem Sacramentalem Judici nolenti reum condemnare ad mortem, quem ex officio deberet. 22 Idem dicendum, si cogat, sive obliget reum pœnitentem ad confitendum in Judicio delictum dignum morte, quod juridicè interrogatus fateri tenetur. 23 Similiter ab irregularitate immunis est confessarius, aut alius Sacerdos, qui consilium dat Principi, ut legem condat, qua fures, vel similes delinquentes morte plectantur.

CONCLUSIO LXXI.

AD TEXT. IN CAP. *Henricus* 2. ET FIN. *de Clericis pugnantibus in duello*, lib. 5. Decret. tit. 14.

1 DUELLUM strictè acceptum ita definiri solet: *Singularis pugna duorum, inter se suscepta ex condicto.* 2 Duellum ita descriptum aliud est publicum, aliud privatum. 3 Publicum est, quod initur certâ formâ, seu solemnitate in congressu observatâ. 4 Privatum est illud, in quo talis forma, & solemnitas non observatur. 5 Non potest acceptari, & offerri duellum ad ostentationem virium, & peritiæ militaris. 6 Neque licitum est duellum offerre, seu acceptare ad vindicandam injuriam illatam; sicut neque ad fugiendam notam timiditatis. 7 Licitum est acceptare duellum, si alia via non suppetat ad conservandam propriam vitam, & bona temporalia gravis momenti. 8 Item licitum est acceptare oblatum duellum ob malum publicum avertendum. 9 Illicitum est suscipere duellum ad manifestationem veritatis, innocentiæ, aut justitiæ. 10 Si Judex ex duobus ad mortem condemnatis daret optionem ad invicem pugnandi ea lege, ut victor à morte liberatur, possunt licitè talem facultatem acceptare, & exequi, dummodo non ex odio, sed propriæ vitæ conservandæ causa id faciant. 11 Illicitè tamen agit Judex hujusmodi duellum offerendo. 12 Jure communi antiquo Clericus provocans ad duellum, illudve acceptans non est suspensus, sed suspendendus. 13 Non sufficit provocatio ad duellum, aut illius acceptatio, ut Clericus hic suspendendus sit, nisi pugna sequatur. 14 Jure autem novo variæ sunt statutæ pœnæ, quas dabimus, contra duellantes, & alias personas. 15 Princeps Christianus, qui in terris suis concederet locum ad duellum duobus infidelibus, non incurreret Excommunicationem. 16 Idem probabiliter censeo, si concederet locum Christiano ad duellum cum infideli. 17 Insuper non incurrit Princeps Excommunicationem hæc duella inter Christianos permittens, quando permittere opus est ad vitanda maiora mala. 18 Sepultura Ecclesiastica deneganda est etiam iis, qui moriuntur in duello, quamvis ibidem aliqua dederint signa pœnitentiæ. 19 Etiam privandus est Ecclesiasticâ sepulturâ ille, qui ante mortem recepit Sacramentum pœnitentiæ, si decessit in loco conflictûs. 20 Secus dicendum de eo, qui extra locum duelli, & ex vulnere lethali ibi accepto, post aliquot dies decessit pœnitens, & absolutus à peccatis, & censuris suis. 21 Privatio Beneficiorum jam obtentorum in duellantes statuta non incurritur ante sententiam declaratoriam criminis. 22 Probabilius est, inhabilitatem ad alia Beneficia obtinenda statim incurri ante omnẽ Judicis sententiam. 23 Non incurrit pœnas in duellantes statutas, qui alteri diceret: *Tecum pugnabo prima vice, quando tibi obvius fuero per urbem*, etsi alter acceptet. 24 Aliter dicendum, si certus locus determinetur.

CONCLUSIO LXXII.

AD TEXT. IN CAP. *Si seduxerit* 1. ET CAP. *Pervenit* 2. *de Adulteriis, & stupro*, lib. 5. Decret. tit. 16.

1 ADULTERIUM sic definitur: *Est peccatum luxuriæ, quo violatur fides conjugalis, & fit accessus ad torum alienum.* 2 Dividi potest in simplex, & unilaterale, & in duplex, seu bilaterale. 3 Simplex est, quod vel à marito alieno cum soluta, vel ab uxore alienâ cum soluto committitur. 4 Duplex, seu duplicatum dicitur, quod à marito alieno cum uxore aliena perpetratur. 5 Utrumque est verum, & propriũ adulterium. 6 Copula cum conjugata, marito consentiente, præter malitiam fornicationis, habet malitiam adulterii in confessione explicandam. 7 Quando habens copulam cum conju-

conjugata est etiam conjugatus, non sufficienter explicat peccatū dicendo, se commisisse adulterium, sed debet utriusque conjugium explicare. 8 Si aliquis cū conjugata per matrimoniū tantùm ratū cōmisceatur, cōmittit verum adulterium. 9 Aliter dicendū, si carnaliter cognoscat sponsam alterius de futuro. 10 Stuprum strictè sumptum sic definitur: *Concubitus viri cum fœmina virgine, quo ejus integritas corrumpatur.* 11 Si virgo consentiat in sui deflorationem, tale peccatum non est stuprum, nec specie distinctum à simplici fornicatione, quamvis virgo sub cura parentum, aut eorum, qui loco parentum sunt, constituta sit. 12 Secus dicendum, si virgo per violentiam, & dolum defloretur. 13 Corruptor virginis sponte consentientis ad nihil ei tenetur in foro conscientiæ, neque parentibus illius, si nihil ei promisit. 14 Idem censeo, si fœmina per vim, metum, aut fraudem stuprata remittat obligationem satisfaciendi stupratori. 15 Quod intelligendum, sive deflorans sit Clericus, sive laicus, & tam in foro conscientiæ, quam externo. 16 Quamvis corruptor nihil promiserit, si tamen dolo, vi, aut fraude virginem defloravit, tenetur in conscientia vel illam ducere, vel damnum reparare. 17 Si verò mulier post deflorationem, ad quam vi, aut fraude inducta est, æquè commodas nuptias inveniat, ita ut nullius damni illius defloratio ei causa fuerit, non tenetur deflorator ad ullam satisfactionem, vel compensationem ei faciendam, saltem ante sententiam, & in conscientia. 18 Non tenetur stuprator dotare, vel ducere puellam, quam suasionibus, blanditiis, precibus, etiam importunis, aut assiduis, vel muneribus induxit ad consensum in stuprum, sine alia tamen vi, fraude, vel minis, si spectemus præcisè obligationem in conscientia, & ante sententiam Judicis. 19 Excipe, si preces fuissent adhibitæ à tali persona, cui fœmina non facilè auderet dissentire. 20 Si stuprator cum puella, ante, vel post flagitium convenit de certo pretio, non potest ista plus petere, quàm de quo inter ipsos conventum est. 21 Si stuprum commissum esset à Clerico, vel persona Ecclesiastica, de eo cognoscit Judex Ecclesiasticus. 22 Si verò à laico, est crimen mixti fori, ita ut de eo cognoscere possit tam Judex Ecclesiasticus, quàm Sæcularis.

CONCLUSIO LXXIII.

AD TEXT. IN CAP. *Excommunicationi 3. de Raptoribus, &c.* lib. 5. Decret. tit. 17.

1 PRÆTER Excommunicationem text. in Cap. *Excommunicationi* comprehenduntur Excommunicatione Bullæ Cœnę omnes piratæ discurrentes mare Pontificium. 2 Sufficit ad eam incurrendam, quòd semel tantùm deprædati fuerint, nec requiritur multiplicitas deprędationum. 3. Discurrens animo prædandi, si nihil re ipsa deprædetur, immunis est ab hac pœna. 4 Si deprædatio fieret infidelibus, aut hæreticis, non incurreretur hęc Excommunicatio. 5 Secus dicendum, si naves sint infidelium, & merces Christianorum, dummodo tales merces non sint, ut aiunt, securatę ab infidelibus. 6 Si unus pirata deprædetur alium piratam, non incurrit excommunicationem. 7 Si bellum indictū fuerit, sive justè, sive injustè, & hostes inter se deprædentur in mari Pontificio, non incurrunt hanc excommunicationem. 8 Qui non datâ operâ, sed prætereunter, aliquam navem in mari prohibito spoliaverint, non cōprehenduntur sub hac lege. 9 Surripientes bona Christianorū naufragantium etiam innodantur Excommunicatione lata in dicto Cap. *Excommunicationi*. 10 Pręter hanc incurrunt alteram latam in 4. Canone Bullæ Cœnæ. 11 Quod intelligendum est, sive apertè, & per vim; sive clam, & per dolum surripiant. 12 Non excusatur à censura ille, qui hujusmodi bona surripuit, sed illico restituit. 13 Secus dicendum, si bona naufragantium acceperit, non animo usurpandi illa, & ad proprium commodum convertendi, sed animo restituendi domino, habitâ istius notitiâ. 14 Ad hanc excommunicationem incurrendam requiritur, quòd surreptio fiat in mari, vel littore. 15 Non haberet locum ista censura, si bona surrepta essent piratarum, qui naufragium passi sunt. 16 Ablatio talium bonorum in necessitate extrema ab hac censura excusat. 17 Item excusatur ab hac Excommunicatione, qui surriperet bona naufragantium, sed nesciret esse naufragantium. 18 Rogabis: Utrùm incurrat Excommunicationem Bullæ Cœnæ ille, qui naufragantium bona ab alio latrone primò jam furata iterum surripuit? Negativè resolvimus. 19 Insuper excusantur ab hac censura, qui surripiunt bona naufragantium, quę dominus habuit pro derelictis, amissa omni spe ea recuperandi. 20 Si quod acceptum est de bonis naufragantium, tam modicum est, ut non sufficiat ad lethalem culpam, non incurritur hæc Excommunicatio. 21 Non afficiuntur dictâ censurâ, ejusque reservatione illi, qui naufragantium fidelium bona surripientibus consilium, favorem, vel auxilium præbent, aut illos recipiunt, dummodo non concurrant physicè, sed solum moraliter ad eorum bonorum surreptionem.

CON-

CONCLUSIO LXXIV.

AD TEXT. IN CAP. *Qui furatur* 1. *de Furtis*, lib. 5. Decret. tit. 18.

1 FURTUM definiri solet à Theologis: *Acceptio occulta rei alienæ, invito domino.* 2 Surripiens hominem liberum, qui sui juris est, non committit furtum, propriè loquendo. 3 Cummittit autem *Plagium*, si eum scienter vendat, aut emat. 4 Si liberi in potestate parentum surripiantur, vel abducantur, potius furtum committitur, & patri competit actio furti. 5 Si fureris mancipium, vel ancillam alicujus, furtum erit, & contra te dabitur actio furti. 6 Rapina definitur: *Ablatio violenta rei alienæ.* 7 Furtum differt specie à rapina. 8 Prohibitum est non solum Jure Humano, sed etiam Divino, & Naturali. 9 Res furto ablata, si usu consumptibilis non est, eadem in individuo restituenda est, si dominus habeat specialem affectum ad rem suam in individuo. 10 Fur, & quicunque injustus possessor tenetur ad restituendum pretium rei, quando apud ipsum res periit fortuitò, quæ tamen sic non periisset apud dominum. 11 Utrùm verò teneatur ad restitutionem casu, quo res sine culpa sua apud ipsum pereat, si eodem modo, & eodem tempore peritura erat apud dominum? Negativè resolvimus. 12 Fur non solùm tenetur restituere rem alienam, sed etiam omnes fructus ex ea perceptos, tam naturales, quàm mixtos. 13 Item non solùm tenetur restituere fructus perceptos, sed etiam non perceptos ex sua negligentia, quos tamen dominus singulari sua diligentia percepisset, si re sua non careret. 14 Insuper præter rem alienam tenetur etiam restituere omne interesse, sive omne lucrum cessans, & damnum emergens. 15 Non tenetur tamen restituere fructus merè industriales. 16 Si quæras: Utrùm teneatur restituere fructus, quos dominus inhonestè percepisset ex turpi usu suę rei? Respondemus negativè. 17 Qui domum alienam pluris locavit ratione alicujus portæ à se affixę, vel lapidis pretiosi, non tenetur restituere excessum pretii ex illa melinratione provenientem. 18 Iniquus possessor tenetur restituere pretium locationis rerum, quæ non solent locari. 19 Fur potest sibi deducere expensas, quas fecit pro re conservanda, vel colligendis, & conservandis fructibus. 20 Idem dicendum de expensis utilibus. 21 Dominus rei tenetur solvere injusto possessori expensas voluntarias, si voluerit ornamentum ipsius rei. 22 Si autem noluerit tale ornamentum, integrum est furi eas expensas, & ornamentum auferre, si absque læsione rei auferri possunt. 23 Difficultas est: An dominus rei teneatur solvere furi expensas voluntarias, si talia ornamenta non possint auferri absque læsione rei, & ipse dominus noluerit cum ornatum? Placet resolutio negativa.

CONCLUSIO LXXV.

AD TEXT. IN CAP. *Super eo* 4. CAP. *Conquestus* 8. CAP. *Tua nos* 9. ET CAP. *Consuluit* 10. *de Usuris*, lib. 3. Decret. tit. 19.

1 USURA definitur: *Lucrum immediatè proveniens ex mutuo.* 2 Contractus verò usurarius definiri potest: *Mutuatio cum pacto recipiendi aliquid ultra sortem ratione mutui.* 3 Usuræ prohibentur Jure Divino, & Ecclesiastico. 4 Utrùm verò prohibeantur etiam Jure naturali? Affirmamus. 5 Non potest Princeps supremus lege sua eas licitas facere. 6 Imo nec Pontifex potest dispensando eas licitas facere. 7 Vi solius consuetudinis, secluso omni alio titulo, non potest licitè aliquid accipi ultra sortem. 8 Quod intelligendum etiam est in favorem causæ piæ. 9 Licitum est petere mutuum, & accipere sub usuris ab eo, qui jam determinatus, & paratus est non mutuare, nisi sub usuris, modò justa causa petendi adsit. 10 Mutuans potest sine usura obligare mutuatarium ad exhibendam amicitiam, non verò extraordinaria obsequia. 11 Non potest deducere in pactum remissionem offensę, si alias ad eam remittendam mutuatarius non tenebatur. 12 Potest quis ex vi mutui obligari ad ea, ad quæ tenetur ex justitia, vel charitate. 13 Non potest sine usura imponi mutuatario obligatio ad remunerandum. 14 Nec potest deduci in pactum, ot mutuatarius det aliquid ex benevolentia, vel gratitudine. 15 Usurarius non acquirit dominium rerum, quas immediatè per usuras acquisivit. 16 Res acquisitæ ab usurario pecuniâ usurariâ transeunt in dominium ipsius usurarii. 17 Non solùm tenetur restituere, quod supra sortem obtinuit, sed etiam lucrum cessans, & omnia damna, quę passus est mutuatarius. 18 Non restituente usurario, tenentur restituere omnes illi, qui proximè, & efficaciter concurrerunt ad usuras percipiendas. 19 Secus illi, qui tantùm remotè concurrunt ad usuras. 20 Hæredes usurarii tenentur restituere, quidquid usurarius acquisivit sob usuris. 21 Si plures sint hæredes, unusquisque tenetur pro rata restituere. 22 Donatarii, & legatarii non tenentur solvere debita usurarii, si hęreditas sit sufficiens ad solvendum. 23 Inopia usurarii eum excusat à restituendis usuris. 24 Item excusatur, si liberaliter ei à mutuatario fuit remissa hæc obligatio. 25 Contra usurarios manifestos plures sunt pœnæ constitutæ, tum in Jure Civili, tum Canonico. 26 Hæ pœnæ habent locum, sive sint ma-

nisesti notoreitate facti, sive sint manifesti notoreitate Juris 27 Si publicus usurarius sit Clericus, incurrit suspensionem. 28 Hac pœna non proficiente, deponendus est, & privandus Beneficiis. 29 Si aliquis Clericus usurarium manifestum admiserit ad Ecclesiasticam sepulturam, ipso facto excommunicatur.

CONCLUSIO LXXVI.

AD TEXT. IN CAP. *Non licet* 25. dist. 86. ET CAP. *Siquis* 1. *de Clerico percussore*, lib. 5. Decret. tit. 25.

1 CUIVIS Clerico, præsertim in Maioribus constituto, specialiter prohibitum est laicum etiam delinquentem, sive fidelem, sive infidelem, propriis manibus percutere. 2 Præceptores, aut magistri artium liberalium, si verba, & minæ non proficiant, possuut venire ad verbera. 3 Quod intelligendum est, etiamsi discipuli, quos ita corrigunt, sint Clerici. 4 Unde, si percussio sit moderata, & correctionis causâ facta, non incurrunt excommunicatiooem Can. *Siquis suadente.* 5 Idem dicendum de senioribus Clericis, qui zelo devotionis leviter percutiunt pueros, vel adolescentes in Minoribus Ordinibus constitutos, dum Officium Divinum perturbant. 6 Non tamen in quocunque delicto, sed in illo peculiari casu id conceditur, non tam io castigationem culpæ, quàm ob quietem Ecclesiæ, & reverentiam Divini Officii. 7 Licitum est Prælato Ecclesiastico Clericum etiam in Sacris constitutum vinculis alligare, & moderata castigatione punire, prout culpa exigit, & qualitas personæ. 8 Episcopus non potest per se verberare Clericum, sed id facere per alium debet. 9 Excipe, si oon possit reperire alium Clericum, qui id faciat. 10 Prælati inferiores Episcopo possunt verberare Clericos sibi subditos etiam in propria persona. 11 De rigore Juris percussio Clerici solùm delegari potest ab Episcopo alteri Clerico, non verò laico. 12 Si aliter fecerit, tam Episcopus verberare mandans, quàm laicus ex mandato Clericum percutiens excõmunicationem incurrunt. 13 Intellige, etiamsi justa verberandi causa subsit. 14 Hæc percussio debet esse moderata. 15 Si Prælati debitam correctionem io verberando excedant notabiliter, incidunt in excommunicatiooem. Can. *Siquis suadente.* 16 Si ex immoderata percussione, etiam disciplinæ causa facta, sequatur mors, vel mutilatio, contraheretur irregularitas. 17 Clericus illicitè percutiens alium, etiam laicum, jubetur corripi pro excessu percussionis, & qualitate delicti, ac delinquentis, ad arbitrium Superioris. 18 Si non resipuerit, deponendus est. 19 Secus, si se emendaverit. 20 Non est depooendus Clericus de gradu, & statu Clericali propter unicam, vel alteram simplicem percussionem. 21 Si Clericus aliquem lethaliter, vel enormiter percussisset, deponendus esset, etiam sine ulla monitione, licèt hoc delictum vel semel tantùm commisisset.

CONCLUSIO LXXVII.

AD TEXT. IN CAP. *Siquis Episcopus* 1. CUM ALIIS, *de Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante*, lib. 5. Decret. tit. 27.

1 CLERICUS depositus, si celebret, vel actum Ordinis, aut Officii, à quo est depositus, exerceat, vel in eo ministret, excommunicari debet. 2 Si sit incorrigibilia, exilio mulctatur. 3 Pręcedere tamen debet admonitio. 4 Clericus, qui suspensus, interdictus, vel excommunicatus exercet actum Ordinis proprium, incurrit pœnam depositionis ab Officio, & Beneficio Ecclesiastico, non quidem ipso Jure, sed sententia Judicis inferendam. 5 Hæc pœna imponi potest reo absque ulla monitione pręvia. 6 Iocurrit etiam privationem omnium Beneficiorum, & quidem ipso Jure. 7 Insuper incurrit irregularitatem ipso Jure, & facto. 8 Qui invincibiliter ignorant, se esse excommunicatos, suspensos, vel interdictos, non incurrunt hanc irregularitatem. 9 Irregularis non est, qui actum Ordinis exercet, cogente extremâ necessitate. 10 Immunis est etiam ab hac irregularitate, qui io censura existens exercet actum Ordinis ad vitandum grave scandalum, vel infamiam ipsius Sacerdotis. 11 Idem dicendum, quando sententia censuræ est evidenter nulla. 12 Clericus censuratus, si assistat matrimonio sine sponsorum benedictione, non fit irregularis. 13 Qui certò scit, se à Judice Ecclesiastico excommunicatum fuisse, & solùm dubitat, num excommunicatio hujusmodi legitimè lata, & valida sit, necne, debet se pro excommnnicato habere. 14 Hinc sequitur, debere sub pœna irregularitatis ab omni exercitio Ordinis abstinere. 15 Excommunicati, etiam tolerati, si temerè, & non rogati exercitio Ordinum suorum se ingesserint, irregularitatem incurrunt. 16 Sacerdos excommunicatus Sacramentaliter absolvens absque intentione absolvendi non fit irregularis. 17 Secus dicendum, si habeat intentionem absolvendi, etiamsi Sacramentum

sit

sit nullum. 18 Si quæras: An irregularis efficiatur is, qui ligatus excommunicatinne Minori celebracet? Negative resolvimus. 19 Censuratus, qui exercet actum proprium Ordinis Minoris, incurrit irregularitatem, si id cum solemnitate faciat.

CONCLUSIO LXXVIII.

AD TEXT. IN CAP. *Siquis* I. CUM ALIIS, *de Clerico non ordinato ministrante*, lib. 5. Decret. tit. 28.

1 PRIMA pœna Clerici ministrantis in Ordine non suscepto est excommunicatio, non ipso Jure lata, sed ferenda. 2 Secunda pœna talis Clerici est suspensio ab Ordine proxime suscepto infligenda ad biennium, vel triennium. 3 Tertia pœna est irregularitas, saltem partialis, ita ut ad superiores Ordines nequeat promoveri. 4 Hęc irregularitas fit totalis, quandn, durante suspensione biennali, vel triennali, temerè se ingesserit ad exercendos actus Ordinis, à quo ita suspensus est. 5 Si non seriò, sed ex ludo fieret ministratio in Ordine nnn suscepto, non induceret irregularitatem. 6 Siquis ex ignorantia putans se Ordinem suscepisse, quem non susceperat, in eo ministret, non est irregularis. 7 Clericus nondum Sacerdos seriò Sacramentaliter absolvens fit irregularis. 8 Idem dicendum de Clerico nondum Sacerdote ministrante solemniter Baptismum, etiam in extrema necessitate. 9 Difficultas est: Utrùm ad incurrendam hanc irregularitatem requiratur, quòd actus Ordinis exerceatur cum intentione eundem exercendi? Probabilior est sententia negativa. 10 Ministrans in Ordine suscepto cũ defectu substantiali irregularitatem incurrit, nisi excusetur ratione ignorantię. 11 Secus dicendum, si defectus esset accidentalis. 12 Peccaret tamen graviter ministrans in Ordine sic suscepto, antequam suppleretur omissum, nisi omissa esset parva cæremonia, quæ necessariò supplenda non est. 13 Hæc irregularitas non solùm incurritur ob exercitium Ordinis Sacri, qui non habetur, sed etiam ob exercitium Ordinum Minorum, dummodo exerceantur solemniter, & quasi ex Officio. 14 Aliter discurrendum de eo, qui ministrat in Ordinibus Minoribus eo modo, quo solet ministrari à laicis. 15 Simplex Sacerdos confirmans, conferens Sacros Ordines, consecrans Ecclesias, vel Altaria, &c. irregularis efficitur, ne in Episcopum consecrari possit. 16 In Sacerdotio autem manebit suspensus biennio, vel arbitrio Episcopi. 17 Non prohibebitur tamen cæteros Ordines inferiores exercere. 18 Controvertitur inter Doctores: An etiam irregularitatem incurrat laicus solemniter baptizans, vel alios actus Ordinis proprios exercendo? Placet resolutio negativa. 19 Jure antiquo Decretalium solus Pontifex poterat dispensare in irregularitate per temerarium usum Ordinum non susceptorum contracta. 20 Jure autem novo Tridenr. hæc potestas etiam Ordinario competit, si delictum est occultum. 21 Secus, si est publicum, aut jam deductum ad forum contentiosum.

CONCLUSIO LXXIX.

AD TEXT. IN CAP. UNICO *de Clerico per saltum promoto*, lib. 5. Decret. tit. 29.

1 CIRCA Ordines etiam delinquunt, qui ad eos promoventur per saltum. 2 Ille per saltum promoveri dicitur, qui, prætermisso inferiori Ordine, ad superiorem ascendit. 3 Per saltum ordinatus ipso facto manet suspensus ab Ordine ita suscepto 4 Quod intelligendum est, donec Ordinem inferiorem omissum recipiat. 5 Probabilius est, Clericum per saltum promotum non esse suspensum ab aliis Ordinibus gradatim susceptis. 6 Hujusmodi Clericus sic promotus incurrit irregularitatem, si temerè exerceat actus Ordinis per saltum suscepti. 7 Si ab exercitio talis Ordinis abstineat, non evadit irregularis ob solam susceptionem Ordinis per saltum. 8 Si Clericus per saltum promotus ministret etiam in Ordine prętermisso, irregularis efficitur. 9 Quod verum est, sive in eo ministret ante eum susceptum, sive post susceptum, si hoc faciat absque legitima dispensatione. 10 Qui, omissâ primâ Tonsurâ, ad Minores Ordines ascendit, ab illis ipso facto suspensus est, donec primam Tonsuram recipiat 11. Si quæras: An etiam suspensus sit, qui ad Minores Ordines promotus est ante receptum Sacramentum Confirmationis? Negantibus subscribimus. 12 Si per saltum ordinatus in Ordine ita suscepto non ministravit, potest dispensare Episcopus in suspensione, quatenus in Ordine ita suscepto ministrare valeat. 13 Intellige, si priùs Ordinem omissum recipiat. 14 Insuper non potest Episcopus dispensare cum ordinato per saltum, ut ascendat ad

ad ſuperiores Ordines, antequam inferiorem prætermiſſum recipiat. 15 Promotus per ſaltum, qui miniſtravit in Ordine ſic ſuſcepto, non poteſt diſpenſari ab Epiſcopo, ſive ſcienter, & doloſè, ſive ex ignorantia ſic ordinatus fuerit. 16 Si delictum fuerit occultum, poteſt Epiſcopus diſpenſare, tam in irregularitate, quàm in ſuſpenſione à ſic ordinato contracta. 17 Dubitabis: Utrùm Ordo per ſaltum collatus ſit validus? Reſpondeo, illicitè quidem, ſed validè conferri. 18 Ordo Epiſcopalis invalidè ſuſcipitur ab eo, qui non ſuſcepit priùs Ordinem Sacerdotalem. 19 Validè tamen conſecratur Epiſcopus ille, qui fuit ordinatus Sacerdos, quamvis unus, aut plures, aut etiam omnes Ordines Sacerdotio inferiores eidem deſint.

CONCLUSIO LXXX.

AD TEXT. IN CAP. *Veniens* 1. CUM ALIIS, *De eo, qui furtivè Ordinem ſuſcepit*, lib. 5. Decret. tit. 30.

1 I L L I dicuntur Ordinem furtivè ſuſcipere, qui vel in examine rejecti, ſimulque ſine licentia, ſeu conſenſu Ordinarii doloſè, &, Ordinatore ignorante, ſe ingerunt cæteris ordinandis. 2 Item, qui ſine licentia requiſita eodem tempore doloſè recipiunt duos Maiores Ordines. 3 Inſuper, qui ad Ordines Minores admiſſi eadem die recipiunt Subdiaconatum. 4 Excipe, niſi alicubi conſuetudine obtentum ſit, ut eodem die Minores Ordines cum Subdiaconatu conferantur. 5 Certum eſt, ſuſcipientes Ordinem furtivè graviter peccare. 6 Ordo furtivè ſuſceptus validus eſt. 7 Intellige, niſi Ordinans ſeriam haberet intentionem non ordinandi furtivè ſe ingerentes, & hanc poſtea non revocaret. 8 Non eſt conſultum, ut Epiſcopus præmittat intentionem non ordinandi furtivè ſe ingerentes. 9 Conſultum tamen eſt, & Juri conforme, ut ſub excommunicatione prohibeat, ne ſe ingerant non approbati, vel, ne aliqui plures Ordines eâdem die furtivè recipiant. 10 Suſcipientes unum, vel plures Ordines furtivè incurrunt ſuſpenſionem ab executione Ordinum ſic ſuſceptorum. 11 Si Epiſcopus prohibeat ſub excommunicatione hujuſmodi ſuſceptionem, tanquam excommunicati ſuſpenduntur etiam ab executione cæterorum Ordinum ritè ſuſceptorum. 12 Utrùm verò præter pœnam ſuſpenſionis incurratur etiam irregularitas? Reſpondemus affirmativè, quando ſuſceptio furtiva prohibita fuit antecedenter ab Epiſcopo ſub pœna excommunicationis. 13 Secus dicendum, ſi alio modo. 14 Recipiens Ordines ab Epiſcopo, qui renuntiavit dignitati, incurrit ſuſpenſionem. 15 Quod verum eſt, etiamſi fortè ob ignorantiam non peccaverit recipiens. 16 In hac ſuſpenſione poterit Epiſcopus proprius diſpenſare, ſi ignorantia renuntiationis fuerit probabilis. 17 Qui renuntiavit Epiſcopatui quoad locum tantùm, poteſt rogatus ab alio Epiſcopo etiam Maiores Ordines conferre. 18 Quando Epiſcopus renuntiavit tam loco, quàm dignitati, poteſt cum licentia Ordinarii conferre primam Tonſuram, & Ordines Minores. 19 Non poteſt tamen licitè conferre Ordines Maiores, etiam de licentia proprii ſuperioris ordinandorum Epiſcopi. 20 Si autem quæras: An valida ſit ordinatio facta ab Epiſcopo, qui renuntiavit dignitati? Reſpondemus affirmativè.

CONCLUSIO LXXXI.

AD TEXT. IN CAP. *Sane* 9. CAP. *Ex parte* 13. ET CAP. *Ut privilegia* 24. *de Privilegiis, & exceſſibus privilegiatorum*, lib. 5. Decret. tit. 33.

1 P R I V I L E G I U M definitur: *Lex privata ſpeciale aliquod beneficium, aut favorem contra, vel præter Jus concedens.* 2 Privilegium eſt reale, dum conceſſum eſt alicui ratione rei, ſive qualitatis illi adjunctæ. 3 Hoc privilegium non poteſt particularibus perſonis renuntiari. 4 Eſt locale, quotieſcunque conceſſum ſit ratione loci. 5 Eſt perſonale, quoties conceſſum ſit ratione perſonæ, & cum ea expirat. 6 Dicitur commune, quoties per ſe primò conceſſum ſit ratione communitatis. 7 Huic privilegio perſonæ particulares non poſſunt renuntiare. 8 Dicitur ſingulare, ſi reſpicit commodum particularis perſonæ, quamvis eo plures fruantur. 9 Item dividitur privilegium in gratioſum, & remuneratorium. 10 In favorabile, & odioſum. 11 In affirmativum, & negativum. 12 In ſcriptum, & non ſcriptum. 13 In abſolutum, & conditionatum. 14 De ratione privilegii eſt, quòd concedat aliquid ſpeciale, quod Jure communi conceſſum non erat. 15 Ad privilegii valorem regulariter non requiri-

quiritur scriptura. 16 Concessio privilegii etiam sine justa causa facta valida est, modò nil aliud obstet. 17 Ut tamen licitè conferantur privilegia, semper requiritur justa causa. 18 Si privilegium sit contrarium juri tertii, vel statuto, & consuetudini speciali, ut vim habeat, addi debet clausula derogatoria hujus juris, consuetudinis, vel statuti. 19 Quod procedit, etiamsi Princeps illud concedat motu proprio. 20 Si verò privilegium Juri communi deroget, non requiritur clausula derogatoria Juris communis; sed sufficit ipsa concessio privilegii sine adjectione talis clausulæ. 21 Potest Princeps Supremus concedere privilegium cum ea amplitudine, ut valeat, nulla privilegiati spectata acceptatione, vel notitia. 22 De facto tamen, nisi de contrario clarè constet, defert privilegium secum tacitam conditionem: *Si privilegiatus concessionem sibi factam acceptet.* 23 Quando privilegium motu proprio, & absque ulla prævia supplicatione privilegiati fuit concessum à Principe, regulariter non habet effectum suum ante notitiam, & acceptationem privilegiati. 24 Idem dicendum, si ad instantiam alicujus tertii, sine mandato tamen privilegiati, concessum est privilegium. 25 Privilegium ad supplicationem ipsius privilegiati, vel procuratoris ejus concessum, statim habet effectum à die collationis, neque opus est, ut priùs innotescat privilegiato. 26 Certum est, per abusum posse amitti privilegium. 27 Non tamen semper ipso Jure amittitur privilegium per abusum, sed per sententiam, & revocationem est auferendum. 28 Privilegium cessat lapsu temporis, ad quod concessum, & restrictum est. 29 Privilegium merè gratiosum non cessat per hoc, quòd privilegiatus eo non utatur, vel faciat actus ipsi contrarios. 30 Privilegium redundans in alterius gravamen amitti potest per non usum, vel usum contrarium.

CONCLUSIO LXXXII.

AD TEXT. IN CAP. *Siquis* 2. CAP. *Si bos* 3. CAP. *Si Læserit* 4. ET CAP. FIN. *de Injuriis, & damno dato*, lib. 5. Decret. tit. 36.

1 INJURIA specialiter accepta definitur: *Delictum, per quod dolo malo infertur alteri contumelia.* 2 Injuria inferri potest tribus modis, scilicet verbo, scripto, & facto. 3 Prælatus potest agere pro injuria illata Novitio. 4 Similiter dominus potest agere pro injuria illata servo. 5 Idem dicendum de patre ob injuriam illatam filio. 6 Frater non potest agere propter injuriam illatam fratri. 7 Nec cognatus propter injuriam illatam cognato. 8 Utrùm verò, sicut ob injuriam illatam uxori agere potest maritus, ita etiam uxor ob injuriam illatam marito? Negativè resolvimus. 9 Injuriam passus potest contra injuriantem instituere actionem injuriarum, vel civiliter, vel criminaliter. 10 Qui semel unam assumpsit, ad aliam transire nequit. 11 Datur actio injuriarum contra illum, qui alteri objecit occultum crimen, vel defectum verum, nisi Reipublicæ intersit tale crimen manifestari. 12 Damnum quoad præsens definiri potest: *Delictum, quo patrimonium, vel res aliena dolo, vel culpa, sine ullo damnificantis lucro, vel emolumento diminuitur.* 13 Attenta dispositione Juris positivi, aliquando nulla requiritur culpa, aut negligentia ad obligationem restituendi. 14 Si quæras: An hujusmodi dispositio obliget in conscientia ante Judicis sententiam? Placet resolutio negativa. 15 Non sufficit culpa Juridica, si absit culpa Theologica, ad obligationem restituendi in foro conscientiæ. 16 Non leve dissidium est: Utrùm dispositio legis Aquiliæ obliget in conscientia post Judicis sententiam, quando nulla intervenit culpa Theologica, licèt interveniat culpa Juridica? Negativam sententiam amplectimur. 17 Ex culpa Juridicâ levi cum animo nocendi graviter oritur obligatio restituendi. 18 Quando ex culpa Theologica defectu plenæ advertentiæ veniali illatum fuit damnum grave, non oritur gravis obligatio restituendi partem gravem damni illati. 19 Si damnum grave illatum fuit ex culpa tantùm veniali, etiam non oritur obligatio gravis restituendi partem levem damni illati. 20 In prædicto eventu non oritur obligatio levis restituendi partem damni gravem. 21 Dubium est: Utrùm in præfato casu, quo ex culpa levi illatum fuisset damnum grave, oriatur obligatio levis restituendi partem levem damni illati gravis? Probabilior est sententia affirmativa.

CONCLUSIO LXXXIII.

AD TEXT. IN CAP. *Præsbyteris* 119. *de Consecr.* dist. 4.

1 CONFIRMATIO est *Sacramentum, quo homo viator baptizatus inungitur in fronte cum chrismate ab Episcopo consecrato sub præscripta verborum forma ad fidei robur consequendum.* 2 Materia remota hujus Sacramenti essentialiter constituitur ex oleo olivarum, & balsamo; ita ut sine utroque Sacramentum validum esse non possit. 3 Balsamum admixtum oleo, ex quocunque loco proveniat, sufficiens erit. 4 Tam oleum, quàm balsamum admixtum debet esse benedictum ab

ab Episcopo consecrato, non verò à simplici Sacerdote, etiam ex commissione Summi Pontificis. 5 Licèt sit necessarium ex præcepto, quòd chrisma benedictum sit eo anno; non est tamen necessarium necessitate Sacramenti. 6 Materia proxima Sacramenti Confirmationis est unctio in fronte ab Episcopo facta per modum Crucis. 7 En Confirmationis forma: *Signo te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.* 8 Non datur præceptum Divinum, nec Ecclesiasticum obligans per se ad Confirmationem. 9 Poterit tamen obligari per accidens baptizatus ad illam suscipiendam, ita ut graviter peccet, si omittat. 10 Non peccat graviter, qui Ordines, etiam Majores, ante Confirmationem suscipit. 11 Fide sanctum est, ordinarium Ministrum Confirmationis esse solum Episcopum consecratum. 12 Extraordinarius ex commissione Papæ est simplex Sacerdos. 13 Potestatem confirmandi non potest Papa Diacono delegare. 14 Minister hujus Sacramenti, quicunque sit, debet esse in gratia. 15 Subjectum capax hujus Sacramenti est baptizatus, sive vir, sive fœmina, sive adultus, sive infans. 16 Amentes confirmari possunt, si nulla sit spes recuperandi usum rationis; dummodo non constet esse in peccato mortali. 17 Qui sunt in periculo proximo mortis constituti, confirmari possunt, sive pueri sint, sive adulti. 18 Primarius effectus Confirmationis est augere gratiam per Baptismum receptam. 19 Confert etiam Confirmatio pro opportunitate specialia auxilia ad conservandam gratiam in Baptismo receptam, ac constanter, & absque timore, & verecundia profitendam fidem, cùm opus fuerit.

CONCLUSIO LXXXIV.

AD TEXT. IN CAP. *Omnis utriusque sexûs.* 12. *de Pœnitentiis, & Remissionibus*, lib. 5. Decret. tit. 38.

1 DE Fide est, dari in Ecclesia verè, & propriè dictum Sacramentum Pœnitentiæ, & esse distinctum à Sacramento Baptismi, & aliis Sacramentis. 2 Sacramentum Pœnitentiæ metaphysicè sumptum definitur: *Signum efficax gratiæ per se judicialiter remissivum peccati post Baptismum commissi.* 3 Physicè verò ita: *Est Sacramentum, in quo peccata ritè confessa per legitimam Sacerdotis absolutionem, injunctâ pœnitentiâ, remittuntur.* 4 Tota essentia hujus Sacramenti consistit in Contritione, Confessione, & Absolutione. 5 Sacramentum Pœnitentiæ vel in re, vel in voto est necessarium necessitate medii omnibus, qui post Baptismum lapsi sunt in mortale. 6 Votum Sacramenti Pœnitentię non debet esse explicitum; sed sufficit implicitum. 7 Datur præceptum Divinum de Pœnitentiæ Sacramento in re suscipiendo. 8 Obligat per se in articulo mortis. 9 Hæc obligatio extenditur ad mortis periculum, ut est prælii conflictus, tempestas, primus partus fœminę, & sequentes, si in prioribus periculum fuit experta. 10 Prçceptum Confessionis obligat omnes, ac solos eos, qoi post Baptismum mortaliter peccaverunt. 11 Non obligat statim post commissum peccatum mortale. 12 Non ex Divino, sed naturali præcepto tenetur quis ad confessionem, quam judicat medium unicum ad emendationem vitæ. 13 Qui in articulo mortis non potest aliter confiteri, quàm nutibus, tenetur ita confiteri. 14 Extra articulum mortis debet ita confiteri, si aliter non possit, quando urget præceptum confessionis, vel communionis, nisi spectet brevi tempore recuperaturum loquelam. 15 Si in articulo mortis confessio aliter fieri nequit, obligat præceptum Divinum ad confessionem per scripturam, si absque periculo infamiæ possint peccata scribi, & statim charta rumpi. 16 Ex Ecclesiastico præcepto tenentur singulis annis confiteri sua peccata omnes utriusque sexûs fideles, postquam ad annos discretionis perveniunt; si nempe alicujus mortalis sint conscii. 17 Gravati solis venialibus neque præcepto Divino, neque præcepto Ecclesiastico tenentur ad confessionem unquam faciendam. 18 Potest Ecclesia præcipere confessionem aliquorum venialium, & mortalium jam clavibus subjectorum minoris difficultatis. 19 Qui post confessionem de mortalibus mortale commisit, vel recordatur alicujus inculpabiliter omissi, non tenetur iterum eo anno confiteri. 20 Qui anno præterito non fuit confessus, tenetur hoc anno quamprimùm confiteri. 21 Per confessionem illegitimam, & sacrilegam non fit satis huic præcepto. 22 Prævidens in principio anni non habiturum postea occasionem confitendi, tenetur prævenire confessionem.

CONCLUSIO LXXXV.

AD TEXT. IN CAP. *Consideret* 1. §. *Cautus de Pœnit.* dist. 5.

1 PECCATA ante Baptismum commissa non sunt materia remota Sacramenti Pœnitentiæ. 2 Levia, & gravia jam rite confessa, sunt materia sufficiens hujus Sacramenti, etiamsi generaliter subjiciantur. 3 Materia necessaria illius sunt mortalia post Baptismum commissa. 4 Utrùm verò peccata commissa in instanti Baptismi sint etiam materia Sacramenti Pœnitentiæ? Affirmamus. 5 Qui positivè dubitat, an peccatum commiserit, ita ut rationes probabiles habeat,

quòd

quòd non peccaverit, quamvis æquè probabiles, imò fortè probabiliores habeat rationes, quòd peccaverit, non tenetur peccatum illud confiteri. 6 Idem dicendum, si certò constet, se peccâsse, probabiliter tamen existimet non fuisse mortale, sed tantùm veniale. 7 Peccata mortalia negativè dubia necessariò sunt in confessione aperienda, non solùm in articulo mortis, sed etiam extra talem articulum. 8 Qui certus est de peccato commisso, dubitat tamen negativè, an illud confessus fuerit, tenetur confiteri tale peccatum. 9 Qui confessus est peccatum, ut dubium, non tenetur postea, cessante dubio, illud confiteri, ut certum. 10 Necessariò debent aperiri species, numerus, & circumstantiæ, non aggravantes, sed speciem mutantes. 11 Interveniente justâ causâ, potest pœnitens complicem manifestare, si ad confessionem integram id necesse sit. 12 Si præceptum urgeat, nec detur alterius confessarii copia, tenetur. 13 Non tenetur declarare voti solemnitatem, vel simplicitatem; nec etiam reincidentiam secundùm se, nisi de hac interrogetur. 14 Contritio, prout abstrahit à perfecta, & imperfecta, definitur: *Animi dolor, & detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero.* 15 Ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ requiritur formalis dolor, & formale propositum. 16 Non est necessaria contritio perfecta, sed sufficit attritio ad Sacramentum Pœnitentiæ cum effectu recipiendum. 17 Cum proposito sufficienti non peccandi stare potest judicium probabile reincidentiæ. 18 Etiam in mortis articulo sufficit attritio, ut talis cognita. 19 Attritio concepta ex metu pœnarum temporalium, quatenus à Deo infligi possunt, est sufficiens ad hoc Sacramentum. 20 Dolor conceptus ex metu pœnarum temporalium, prout infligendarum ab homine, non est attritio sufficiens ad Sacramentum. 21 Attritio concepta ex metu pœnarum, & gehennæ potest esse honesta. 22 Non sufficit dolor existimatus ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ. 23 Neque etiam est sufficiens dolor naturalis. 24 Neque dolor inefficax, seu qui non expellat omnem voluntatem, & affectum ad peccatum. 25 Quando confessio fit de solis venialibus, necessarius est dolor formalis, & efficax de illis. 26 In confessione solius venialis etiam requiritur formale propositum. 27 Implicat Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe, seu quod sit verum Sacramentum, & non illico præstet suos effectus.

CONCLUSIO LXXXVI.

Ad text. in cap. *Qui vult* 1. *de Pœnit.* dist. 6.

1 D formam Sacramenti Pœnitentiæ requiruntur verba propriè dicta. 2 Forma Sacramenti Pœnitentiæ consistit in his verbis: *Ego te absolvo à peccatis tuis.* 3 Ut salvetur essentia formæ, non requiruntur omnia illa verba, sed sufficiunt hæc duo: *Absolvo te.* 4 Invalida est absolutio, si proferatur modo deprecativo. 5 Si imperativo, erit ad minus dubia. 6 Et erit nulla, si authoritate Papæ conferatur. 7 Valida est, sed regulariter illicita, absolutio sub conditione de præterito, aut de præsenti. 8 At sub conditione de futuro est invalida. 9 Nulla ex causa potest absenti licitè conferri. 10 Erit nulla, etsi Sacerdos priùs audierit præsentis confessionem. 11 Si pœnitens per literas mitteret peccata sua confessario, & postea in præsentia ejusdem confessarii diceret, se de omnibus illis accusare, validè absolveretur. 12 Si confessarius in ea sit distantia, ut videat pœnitentem, aut alio sensu illum percipiat, ita ut posset exaudire loquentem voce aliquantulum altiore, non erit absens ad hunc effectum. 13 Si tamen moribundus per literas, vel internuntium vocet confessarium, non poterit hic, domum duntaxat à longè videns, moribundum in illa inclusum validè absolvere. 14 Infirmus ob mortem imminentem, uno, vel altero peccato audito à confessario, absolvendus est. 15 Quando Sacerdos, audita parte confessionis, distulit in sequentem diem, & postea reperit moribundum sensibus destitutum, potest illum absolvere. 16 Etiam absolvendus est, si solùm se accusavit in genere, & repente sensibus destitutus est. 17 Qui signis, aut verbis dicit se dolere de peccatis, & velle confiteri, absolvendus est, si distinctam peccatorum notitiam impediat morbi gravitas. 18 Absolvendus etiam est moribundus, quando ille, qui Sacerdotem vocavit, & testatus est de desiderio confessionis, non redit, nec alius est, qui in præsentia moribundi testetur Sacerdoti illius desiderium. 19 Pia, & in praxi tenenda est sententia affirmans, absolvendum esse sub conditione moribundum, quem constat Catholicum esse, pièque vixisse, sed repente destitutus sensibus, non in actu peccandi, nullum dat pœnitentiæ signum, sed tantùm motus aliquos edit, ex quibus dignoscitur adhuc vivere. 20 In terminis proximæ resolutionis non solùm potest Sacerdos, sed etiam debet moribundum absolvere sub conditione. 21 Quilibet Sacerdos, etiam excommunicatus, vel hæreticus, potest absolvere ab omnibus peccatis, & censuris quemlibet pœnitentem in mortis articulo, vel periculo constitutum. 22 An verò, præsente proprio Sacerdote, possit simplex Sacerdos in tali articulo moribundum absolvere? Affirmat probabilis, & communis sententia. 23 Absolutus in articulo mortis à casibus reservatis per simplicem Sacerdotem, si postea convalescat, non tenetur coram superiore comparere.

CON-

CONCLUSIO LXXXVII.

AD TEXT. IN CAP. *Ab infirmis* 1. cauſ. 26. quæſt. 7.

1 SATISFACTIO Sacramentalis definitur: *Compenſatio pœnæ temporalis poſt remiſſum pecatum remanentis, conſiſtens in operibus à confeſſario taxatis.* 2 Eſt pars integralis, non eſſentialis Pœnitentiæ. 3 Ex opere operato cauſat pœnæ remiſſionem. 4 Non ſemper remittit omnem pœnam. 5 Impleta in lethali nullum cauſat effectum. 6 Confeſſarius obligatur ſub gravi culpa ad ſatisfactionem, ſeu pœnitentiam injungendam pœnitenti, ſive pœnitentia imponenda ſit gravis, ſive levis, niſi juſta cauſa omittendi adſit. 7 Debet imponi ſatisfactio obligans ex præcepto, non conſilio. 8 Quamvis relinquatur arbitrio confeſſarii pœnitentia injungenda; non relinquitur tamen, ut gravem pro levibus culpis, & levem pro gravibus imponat. 9 Peccat graviter confeſſarius, ſi pro gravibus peccatis parvam pœnitentiam imponat, niſi ex juſta cauſa judicaverit eam mitigare. 10 Confeſſarius poteſt ſatisfactionem ſub disjunctione imponere, hanc ſcilicet, vel illam. 11 Poſſunt imponi in ſatisfactinnem opera pro animabus Purgatorii. 12 Item actus interni, & opus aliàs debitum ex præcepto: ſed ordinariè id non expedit. 13 Ob peccata publica poteſt injungi pœnitentia publica, ſi expediat ſaluti pœnitentis, & aliorum ædificationi. 14 Frequentia Sacramentorum Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ poteſt imponi in ſatisfactionem. 15 Tenetur pœnitens rationabilem pœnitentiam acceptatam adimplere. 16 Peccat graviter, ſi diſcedat ante abſolutionem ob difficultatem pœnitentiæ abſque rationabili cauſa: 17 Licèt peccet graviter non acceptando pœnitentiam, ſive gravem, ſive levem; non tamen peccat graviter, ſi pœnitentiam levem acceptatam non exequatur. 18 Peccat mortaliter pœnitens, ſi gravem pœnitentiam omittat, quam ei impoſuit confeſſarius ſub obligatione levi. 19 Non poteſt pœnitens propria authoritate ſibi commutare pœnitentiam impoſitam in opus æquale, vel melius. 20 Poteſt confeſſarius ex juſta, & rationabili cauſa pœnitentiam commutare, ſive injuncta à ſe fuerit, ſive ab alio confeſſario inferiori, aut æquali, vel ſuperiori. 21 Etiam poteſt commutari pœnitentia injuncta pro peccatis reſervatis à confeſſario non habente facultatem reſervatorum. 22 Non poteſt pœnitens propria authoritate ſubſtituere ſibi alium, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat. 23 Non obligaris ſub lethali implere pœnitentiam in gratia. 24 Imò nec ſub veniali. 25 Satisfacis, ſi ponas opus injunctum, quamvis non habeas intentionem ſatisfaciendi. 26 Imò, quamvis habeas expreſſam non ſatisfaciendi intentionem; ſed peccas in ipſa nolitione. 27 Pœnitentia, ſine prædefinitione temporis, implenda eſt, ubi primùm commodè potuerit. 28 Notabilis dilatio erit graviter peccaminoſa.

CONCLUSIO LXXXVIII.

AD TEXT. IN CAP. *Sacerdos* 2. *de Pœnit.* diſt. 6.

1 SIGILLUM Confeſſionis eſt *Obligatio non revelandi, quæ in confeſſione audita ſunt.* 2 Tenetur confeſſarius ad ſigillum ex Jure Naturæ, Divino, & Eccleſiaſtico 3 Obligat ſigillum ad non revelanda peccata, etiamſi ex revelatione ſalus totius mundi ſequeretur, aut Chriſtianæ Religionis graviſſimum malum vitaretur. 4 Sigillum obligat confeſſarium, non pœnitentem. 5 Obligat interpretem. 6 Item ſuperiorem, cui ſe ſiſtit abſolutus à reſervato, vel à quo petitur licentia abſolvendi à reſervato. 7 Sola confeſſio inducit hanc obligationem. 8 Tenetur ſigillo is, cui confeſſarius ex malitia, vel errore peccatum manifeſtavit. 9 Si v.g. in naufragio, quia aliter non potes, confitearis, aliis audientibus, omnes tenebuntur ſigillo. 10 Secus, ſi ex humilitate velis, aliquos audire peccata tua. 11 Tenetur, qui ſimulans ſe confeſſarium confeſſionem excipit, quamvis ſit laicus. 12 Etiam tenetur, qui confeſſionem pœnitentis rudis ſcripſit, ut eam confeſſario præſentaret. 13 Deobligatur à ſigillo Sacramentali inveniens chartam, in qua ſcripta erant peccata pœnitentis ob juvamen memoriæ in confeſſione Sacramentali. 14 Tenetur tamen ſtrictiſſimè ad ſecretum naturale, & graviter peccat, ſi, poſtquam advertit peccata gravia contineri, eam legat. 15 Non poteſt confeſſarius loqui cum pœnitente extra confeſſionem de peccatis in confeſſione auditis abſque pœnitentis licentia expreſſa verbo, vel ſcripto 16 Si immediatè poſt confeſſionem occurrat error emendandus, vel aliquid, dum judicium Sacramentale moraliter perſeverat, non requiritur pœnitentis licentia. 17 Confeſſarius interrogatus de peccato in confeſſione audito, poteſt, & debet negare, etiam cum juramento, ſe audiviſſe; & negat ſine mendacio. 18 Si non abſolvit pœnitentem ob indiſpoſitionem, non poteſt rogatus dicere non abſolviſſe. 19 Si confeſſarius fortè peccavit, cùm excipit confeſſionem alicujus, nec poſſit con-

fiteri suum errorem, nisi manifestando pœnitentem, obligatur non integrè confiteri, sed enarrare cætera peccata, & silere de hoc, donec detur copia confessarii, qui non cognoscat pœnitentem. 20 Confessarius non potest uti scientia habita ex confessione ad gubernationem externam. 21 Confessarius tenetur etiam in Judicio negare se peccatum aliquod pœnitentis audivisse.

CONCLUSIO LXXXIX.

AD TEXT. IN EXTRAVAG. *Unigenitus* 2. *de Pœnitentiis*, *& remissionibus*, lib. 5. Extravag. Commun. tit. 9.

1 INDULGENTIA strictè sumpta communiter definiri solet: *Relaxatio pœnæ temporalis debitæ pro peccatis actualibus jam dimissis, concessa homini existenti in gratia ab habente potestatem per applicationem ex communi thesauro Ecclesiæ.* 2 Concessiu Indulgentiarum est actus jurisdictionis. 3 Indulgentia dividitur in Personalem, Localem, & Realem. 4 Dividitur etiam in totalem, quæ & plenaria dicitur, per quam remittitur tota pœna, quæ esset in Purgatorio luenda, & in partialem, per quam solùm remittitur pars pœnæ. 5 Certum est, Indulgentiarum concessionem primario spectare ad Summum Pontificem. 6 Cardinales in Ecclesiis sui tituli possunt concedere Indulgentias ad 100 dies. 7 Potestas concedendi Indulgentias cum restrictione competit Episcopis, etiam non consecratis, modò confirmati sint. 8 Hæc eadem concessio Indulgentiarum competit Archiepiscopis per totam suam Provinciam, ac Diœceses Suffraganeorum, etiamsi non sint in actuali visitatione illarum. 9 Pontifex concedens alicui facultatem ad remittenda peccata non intelligitur concedere simul facultatem Indulgentias largiendi. 10 Quando plenaria datur Indulgentia in mortis articulo, ipsam lucratur moribundus, licèt mors non sequatur. 11 Potest aliquando Summus Pontifex, vel Episcopus Indulgentias concedere absque injunctione operis alicujus. 12 Ut quis possit Indulgentiam consequi, debet esse viator, & baptizatus. 13 In susceptore Indulgentiarum requiritur gratia. 14 Sufficit, quòd ultimum opus ex injunctis fiat in gratia. 15 Item suscepturus Indulgentiam necessario debet præstare ea, quæ præscripta sunt à concedente Indulgentiam, ut eam lucrari possit. 16 Indulgentia nequit extendi ultra tempus à concedente præfixum. 17 Quando Indulgentia sine ulla temporis limitatione concessa est, sed absolutè, & simpliciter, per se loquendo, in perpetuum valet. 18 Indulgentia, sive perpetua, sive temporalis sit, potest cessare per revocationem factam à concedente, vel ejus successore, aut superiore. 19 Habens facultatem revocandi Indulgentias potest per se loquendo validè, & licitè revocare absque causa. 20 Non cessat Indulgentia revocata, antequam perveniat notitia revocationis ad illos, in quorum favorem concessa fuerat. 21 Indulgentia simpliciter concessa pro mortis articulo potest pluries obtineri, si pluries repetatur mortis articulus. 22 Potest quis obtinere Indulgentiam, si commodatam ab alio habeat rem, cui addicta est Indulgentia, si præstet opera præscripta. 23 Secus dicendum, si aliter constaret de mente concedentis.

CONCLUSIO XC.

AD TEXT. IN EXTRAVAG. *Quemadmodum* 4. eod. tit. 9. ac lib. 5. Extravag. Commun.

1 JUBILÆUM est *Indultum Pontificis indulgentiam plenariam, & magna privilegia tribuens certa opera in Brevi præscripta præstantibus.* 2 Jubilæum Christianum dividitur in Romanum, Compostellanum, & Extraordinarium. 3 Vi Jubilæi, in quo de facto concedi solet facultas absolvendi à reservatis etiam in Bulla Cœnæ, intelligitur concessa facultas absolvendi etiam ab hæresi, nisi excludatur. 4 In Jubilæo generalis concessio absolvendi à reservatis Sedi Apostolicæ se extendit ad reservata Episcopis. 5 Qui spe Jubilæi incidit in reservata, potest absolvi tempore Jubilæi. 6 Potest pœnitens absolvi à reservatis, quæ tempore Jubilæi absolvi possunt, etiamsi post illius publicationem commissa sint. 7 Qui lucratus est Jubilæum, si deinde incidat in reservata, potest ab iis absolvi. 8 Absolutus vi Jubilæi à peccatis, quorum meminit, remanet liber à reservatione oblitorum. 9 Qui cum animo lucrandi Jubilæum confessus est reservata, & postea noluit Jubilæum lucrari, manet liberà reservatis. 10 Qui opus aliquod præscriptum ex ignorantia, impotentia, vel negligentia peni-

penitus omisit, non lucratur Jubilæum. 11 Idem est, si aliqua omittatur operis pars notabilis. 12 Non potes opera præscripta per alium perficere. 13 Poteris nihilominus per famulum eleemosynam largiri. 14 Si eleemosyna detur distribuenda, & non distribuatur, nihil de Jubilæo obtinebis. 15 Idem dicendum, si eleemosyna distribuatur, non tamen intra tempus Jubilæi. 16 Probabilius est, necessarium esse ad Jubilæi consecutionem, quòd omnia opera injunctà absolvantur in eadem hebdomada electa ad Jubilæum. 17 Siquis tempore Jubilæi oblitus fuerit commutationis votorum, potest eam exposcere, finito tempore Jubilæi. 18 Quod intellige de votis emissis usque ad ultimum diem Jubilæi, non vero de aliis postea emissis. 19 Commutatio votorum non necessariò debet fieri in confessione. 20 In Jubilæo extraordinario conceditur confessarii electio, etiam Regularibus. 21 Confessarius virtute Jubilæi eligibilis debet esse approbatus ab Ordinario loci. 22 Si à Regularibus eligatur pro confessario Sacerdos regularis, non sufficit, quòd hic Sacerdos sit approbatus à Prælato proprio Regulari. 23 Habens Beneficium curatum etiam est eligibilis in confessarium tempore Jubilæi. 24 Qui habuit Beneficium curatum, sed nunc non habet, non potest eligi in confessarium. 25 Nomine habentis Beneficium Parochiale, qui possit in confessarium eligi tempore Jubilæi, non veniunt Prælati Religionum, Guardiani, Abbates, Rectores, Provinciales, &c.

CONCLUSIO XCI.

AD TEXT. IN CAP. *Literis* 18. *de Consecr.* dist. 3.

1 DEFINITUR Extrema-Unctio: *Sacramentum novæ legis ad ungendos infirmos ordinatum in salutem animæ, & corporis.* 2 Ejus materia remota est oleum olivarum. 3 Debet esse ab Episcopo benedictum necessitate Sacramenti. 4 Non sufficit, quòd sit benedictum à simplici Sacerdote ex facultate Pontificis. 5 Si oleo olivarum immisceatur balsamum, aut similis liquor in parva quantitate, erit utique materia valida ad hoc Sacramentum ministrandum. 6 Illicitum est in administratione hujus Sacramenti adhibere oleum benedictum anno elapso. 7 Excusaret tamen necessitas à quocunque peccato. 8 Materia proxima Sacramenti Extremæ-Unctionis est unctio aliquarum partium corporis. 9 Hæc unctio debet fieri in formam Crucis. 10 Non est tamen de necessitate Sacramenti facere unctionem in modum Crucis. 11 Item non est de necessitate Sacramenti, quòd hæc unctio fiat manu immediatè Sacerdotis. 12 Est tamen de necessitate præcepti, excepto tempore pestis, vel ubi datur contraria consuetudo. 13 Unctio quinque sensuum solùm est necessaria necessitate præcepti. 14 Forma istius Sacramenti constat ex verbis: *Per istam Sanctam Unctionem, &c.* 15 Invocatio Sanctissimæ Trinitatis non est de essentia Extremæ-Unctionis, licèt talis sit respectu Baptismi, & Confirmationis. 16 Minister necessarius, & sufficiens hujus Sacramenti est solus Sacerdos. 17 Subjectum capax hujus Sacramenti est solus homo viator baptizatus, adultus, & in periculo mortis ob infirmitatem constitutus. 18 Sufficit ad ministrandum hoc Sacramentum, quòd prudenter judicetur infirmus laborare periculo mortis. 19 Pueris habentibus usum rationis, si in periculo mortis fuerint, ministrandum est hoc Sacramentum. 20 Administrandum est hoc Sacramentum adulto, qui immediate post Baptismum in lethalem morbum incidit, etiamsi nullum peccatum post Baptismum commiserit. 21 Durante eodem mortis periculo, nullatenus iterari debet, imo nec potest, hoc Sacramentum. 22 Secus verò, ipso periculo cessante, & alio adveniente. 23 Communis sententia docet, per se loquendo, non obligari sub gravi infirmum fidelem ad hoc Sacramentum recipiendum. 24 Peccat tamen venialiter, si sine justâ causa illud suscipere omittat. 25 Graviter peccat infirmus, si omittat suscipere hoc Sacramentum ex contemptu. 26 Parochus tenetur ex officio illud ministrare, peccatque lethaliter, si ita differat, ut exponat infirmum periculo decedendi absque unctione.

CONCLUSIO XCII.

AD TEXT. IN CAP. *Nemo contemnat* 31. caus. 11. quæst. 3.

1 CENSURA strictè sumpta definitur: *Pœna Ecclesiastica medicinalis subditos privans aliquo bono spirituali ad eorum correctionem.* 2 Dividitur adæquate in Excommunicationem, Suspensionem, & Interdictum. 3 In eam, quæ est ab homine, & quæ est à Jure. 4 In eam, quæ est latæ sententiæ, & quæ est ferendæ. 5 Potestas reperta in Ecclesia ad censuras imponendas est de Jure Divino. 6 Institutio censurarum est de Jure humano. 7 Potestas ferendi censuras vel est ordinaria, vel delegata. 8 Po-

8 Poteſtate ordinariâ ferendi cenſuras gaudet primò Papa. 9 Deinde Concilia Generalia reſpectu totius Eccleſię, & Provincialia reſpectu ſuarum Provinciarum. 10 Eminentiſſimi Cardinales in propriis Eccleſiis. 11 Patriarcha, Archiepiſcopus, Epiſcopus, & Capitulum, Sede vacante, in ſuis Diœceſibus, eorumque Vicarii. 12 Item Religionum Generales, Provinciales, & etiam Prælati locales juxta Ordinum ſuorum conſtitutiones. 13 Parochis ex Jure communi ea poteſtas non convenit. 14 Delegatam verò poteſtatem ferendi cenſuras habent illi, quibus ordinaria poteſtate gaudentes eam committunt. 15 Poteſtas ferendi cenſuras non poteſt per Prælatos inferiores delegari laico, attento Jure Canonico. 16 Poteſt laico à Pontifice delegari de plenitudine poteſtatis 17 Fœminæ ſolo Jure Eccleſiaſtico ſunt inhabiles ad habendam prędictam poteſtatem. 18 Solus viator baptizatus, non perpetuò amens, rationis ve uſu carens, ligari poteſt cenſuris. 19 Impuberes poſſunt validè ligari cenſuris, non tantùm à Jure, ſed etiam ab homine latis. 20 Communitas, ut talis, excommunicari non poteſt. 21 Si tamen conſtet, communitatis ſingulos deliquiſſe, validè, & licitè excommunicatur communitas, ſaltem accepta diſtributivè. 22 Mortui non feriuntur cenſuris, niſi indirectè. 23 Nullus fidelis effugit poteſtatem Pontificis in ferendis cenſuris. 24 Imperator, ac Rex non ligatur cenſuris ab Epiſcopo latis. 25 Ligatus una cenſura poteſt iterum alia, etiam ejuſdem ſpeciei, ligari. 26 Cenſura ob ſolam culpam ferri poteſt. 27 Sufficit culpa levis ad incurrendam Minorem excommunicationem. 28 Cenſura gravis nec licitè, nec validè poteſt infligi pro peccato veniali. 29 Pro peccato merè interno cenſura infligi non poteſt. 30 Ut incurratur cenſura, ſatis eſt peccatum per accidens occultum. 31 Ut cenſura incurratur à ſubdito, debet peccatum eſſe conſummatum in illa ſpecie, in qua ſub tali pœna prohibetur. 32 Pro peccato purè præterito non poteſt cenſura imponi.

CONCLUSIO XCIII.

AD TEXT. IN CAP. *Sacro* 48. *de Sententia Excommunicationis*, lib. 5. Decret. tit. 39.

1 UT incurratur Cenſura lata à Jure, vel ab homine ad futurum peccatum prævavendum, nulla requiritur ſpecialis monitio. 2 Excipe, niſi Jus ipſum in caſu aliquo particulari velit, aliam admonitionem accedere. 3 Quando cenſura ab homine fertur pro culpis præteritis, aut præſentibus reſpectum habentibus in futurum, ad eam contrahendam neceſſaria eſt prævia monitio Canonica. 4 Hęc monitio debet eſſe trina, vel una tribus æquivalens. 5 Ex defectu tamen trinæ monitionis cenſura non redditur nulla, ſed injuſta. 6 Excipe, niſi lata ſit contra participantes cum excommunicato ab eodem Judice. 7 Monitio debet fieri authoritate, & nomine Judicis laturi cenſuram. 8 Item debet fieri coram teſtibus, qui de illa teſtificari poſſint. 9 Quando cenſura fertur contra perſonam aliquam particularem, & determinatam, admonitio facienda eſt coram illa perſona. 10 Quando ſuſpenſio, vel interdictum fertur in communitatem, facienda eſt admonitio delinquenti, ob cujus delictum fertur interdictum, vel ſuſpenſio. 11 Summus Pontifex tenetur in cenſuris ferendis aliquam (quamvis non Canonicam) monitionem ſervare. 12 Si detur juſta cauſa, poteſt Summus Pontifex omittere Canonicam monitionem in cenſuris ferendis. 13 Prælati Regulares imponentes cenſuras ſuis ſubditis tenentur ex vi Juris præmittere Canonicam monitionem. 14 In Religionibus tamen, in quibus conſuetudo in contrarium præſcripſit, non tenentur illam præmittere. 15 Quando delictum eſt publicum, ejuſque author notorius, etiam præmittenda eſt neceſſariò monitio Canonica. 16 Utrùm verò ſubditus poſſit cedere Juri monitionis Canonicæ, ita ut, illa non prævia, poſſit cenſuris ligari? Negativè reſolvimus. 17 Ignorantia invincibilis Juris, ſive communis, ſive particularis, excuſat à cenſura per tale Jus impoſita. 18 Quod procedit, etiamſi res ſit prohibita ſimul Jure Divino, & humano, & hoc tantùm ignoretur. 19 Item excuſabitur ab incurrenda cenſura, qui ſciat rem eſſe ab Eccleſia prohibitam, ignoret tamen, prohibitam eſſe ſub pœna cenſuræ. 20 Ignorantia vincibilis tam Juris communis, quàm particularis liberat à cenſura, etiam quando eſt graviter culpabilis, modò craſſa non ſit, vel ſupina. 21 Etiamſi craſſa ſit, aut ſupina, excuſat à cenſura lata contra ſcienter, & conſultò operantes. 22 Ignorantia invincibilis facti, aut qualitatis facti excuſat à cenſura tali facto, aut ejus qualitati impoſita. 23 Idem extende ad ignorantiam facti culpabilem, modò non ſit craſſa, aut ſupina. 24 Metus gravis excuſat ab incurrenda cenſura. 25 Cenſura ſemel contracta per ſolam abſolutionem tollitur. 26 Abſolutio à cenſura vi, & metu cadente in virum conſtantem extorta eſt nulla. 27 Non eſt tamen invalida cenſura lata à Judice vi, metuque cadente in virum conſtantem.

CON-

CONCLUSIO XCIV.

Ad text. in cap. *Excommunicatos* 17. cauf. 11. quæſt. 3.

1 

XCOMMUNICATIO definiri ſolet: *Cenſura Eccleſiaſtica privans communicatione fidelium.* 2 Dividitur in Maiorem, & Minorem. 3 Per Excommunicationem ſimpliciter intelligitur Maior. 4 Non omnis publicus excommunicatus Excommunicatione Maiori eſt vitandus Jure novo, ſed ſolus excommunicatus expreſſè denuntiatus, aut notorius Clerici percuſſor, cujus factum non poſſit aliqua tergiverſatione celari, vel aliquo ſuffragio excuſari. 5 Excommunicatio Maior privat communibus Eccleſiæ ſuffragiis. 6 Grave peccatum eſt applicare pro excommunicatis communia ſuffragia Eccleſiæ nomine ipſius facta. 7 Item non eſt licitum applicare ſuffragia Eccleſiæ pro excommunicatis in communi. 8 His ſuffragiis privatur etiam excommunicatus contritus, qui à delicto reſipuit, nec per ipſum ſtat, quin abſolvatur. 9 Quæres: An licitum ſit fidelibus pro excommunicatis toleratis publicas orationes, & Sacrificium Miſſæ offerre? Probabilior eſt ſententia negativa. 10 Si Sacerdos Chriſti nomine, & ut Miniſter ab ipſo deputatus, offerat Sacrificium Miſſæ pro excommunicato, quicunque ſit, excommunicatus Sacrificii fructum percipiet. 11 Si verò offerat Sacrificium pro excommunicato, ut Miniſter Eccleſiæ eſt, & illicitè applicat, & invalidè. 12 Poterit tamen Sacerdos, ut privata perſona, orare, & ſacrificare licitè, atque utiliter pro quolibet excommunicato. 13 Excommunicatus, quicunque ſit, privatur receptione Sacramentorum. 14 Validè nihilominus Sacramenta ſuſcipit, excepto Sacramento Pœnitentiæ. 15 Si excommunicatus ex ignorantia, vel oblivione non manifeſtaret cenſuram, nec Sacerdos ab ea abſolveret, probabilius eſt, eo caſu valere abſolutionem, ſi nihil aliud deſit. 16 Sacramenta à Miniſtro excommunicato collata valida ſunt. 17 Excipitur Sacramentum Pœnitentiæ ab excommunicato vitando miniſtratum extra caſum neceſſitatis. 18 Illicitè tamen, & ſacrilegè à quolibet excommunicato Sacramenta miniſtrantur, niſi cauſa legitima illum excuſet ab obſervatione cenſuræ. 19 Excommunicatus vitandus ſola gravi neceſſitate excuſabitur. 20 Ut toleratus excuſetur, ſufficit fidelium petitio. 21 Excommunicatus, etiam toleratus, nequit aſſiſtere Sacrificio Miſſæ. 22 Poterit tamen toleratus inſervire Sacro, ſi alius non adſit, qui inſervire ſciat. 23 Si adhibeat ſocium in recitatione privata Divini Officii, non peccat graviter. 24 Eſt liber excommunicato ingreſſus Eccleſiæ, ut ibi privatim oret.

CONCLUSIO XCV.

Ad text. in cap. *Cum excommunicato* 18. cauf. 11. quæſt. 3.

1 

XCOMMUNICATUS vitandus privatur omnino Eccleſiaſticâ ſepulturâ, etiamſi pœnitentiæ ſigna exhibuiſſet. 2 Excommunicatus autem toleratus eâ donari poteſt, dummodo exhibitis contritionis ſignis è vita deceſſerit. 3 Excommunicatus, qui in foro pœnitentiæ fuit abſolutus in mortis articulo, poteſt in loco ſacro ſepeliri. 4 Certum eſt, nullam omnino, & invalidam eſſe collationem Beneficii Eccleſiaſtici factam excommunicato. 5 Idem extende ad penſiones Eccleſiaſticas ob aliquod ſpirituale miniſterium dari ſolitas. 6 Excommunicatus validè acceptat Beneficium, dum eſt excommunicatus, ſi illi collatum fuit, antequam incideret in excommunicationem. 7 Si tamen collatio fiat tempore, quo aliquis erat excommunicatus, Beneficium nulliter acceptatur, etiam poſt obtentam abſolutionem. 8 Excommunicatus obtinens Beneficium, aut penſionem tempore excommunicationis non poteſt eorum fructus percipere, nec Beneficium permutare. 9. Poſt Beneficium legitimè acceptum non privatur eo, quamvis poſſit privari, ſi in Excommunicatione inſordeſcat, & contumacia gravis ſit. 10 Excommunicatus vitandus privatur omni uſu, & exercitio Eccleſiaſticæ jurisdictionis. 11 Unde non ſolùm illicitè, ſed invalidè uſurpat excommunicatus vitandus Eccleſiaſticæ jurisdictionis actus. 12 Excommunicatus toleratus validum uſum retinet jurisdictionis non coactivæ. 13 Hac jurisdictione licitè utitur à fidelibus requiſitus. 14 Etiam in foro ſæculari geſta ab excommunicato vitando nulla ſunt, ſi à jurisdictione pendent. 15 Unde Judicis munus nec validè excercere poteſt, nec licitè. 16 Item nequit eſſe actor in Judicio, ſed erit à Judice repellendus. 17. Inſuper neque advocatus eſſe valet, aut teſtis, niſi in caſibus in Jure conceſſis. 18 Poteſt tamen excommunicatus trahi tanquam reus ad judicium, & ibi, quæ in ſui defenſionem neceſſaria ſunt, præſtare. 19 Excommunicatus autem toleratus ad actus judiciales admitti poteſt. 20 Poterit etiam à Judicio exceptione Excommunicationis repelli. 21 Valida eſt admiſſio profeſſionis Religioſæ facta à Prælato excommunicato. 22 Prohibita eſt fidelibus communicatio, etiam civilis, & politica, cum excommunicato vitando.

vitando. 23 Ea tamen communicatio pluribus de causis liberatur à culpa. 24 Difficultas est: An validi sint contractus initi ab excommunicato cum non excommunicato? Probabilior est sententia affirmativa. 25 Jam temporis usu receptum est, ac consuetudine firmatum, unicam tantùm dari Excommunicationem Minorem à Jure impositam ob participationem cum excommunicato vitando. 26 Definitur: *Censura privans Sacramentorum receptione.* 27 Nec alium habet effectum directum, nisi hujusmodi privationem. 28 Innodatus Excommunicatione Minori nequit licitè ad Ecclesiasticum Beneficium eligi. 29 Si tamen eligatur, non est ipso Jure irrita ejus electio, sed irritanda per Judicem.

CONCLUSIO XCVI.

AD TEXT. IN CAP. *Quia periculosum* 4. *de Sententia Excommunicationis* in 6.

1 SUSPENSIO, de qua agimus, definiri solet: *Censura, quâ Minister Ecclesiæ formaliter impeditur, ne functiones Ecclesiasticas exerceat, aliquavè potestate utatur.* 2 Alia est ab Officio tantùm, alia à Beneficio tantùm; alia denique ab Officio, & Beneficio simul. 3 Personæ, quæ suspendi possunt, necessariò debent esse Clerici. 4 Quilibet Clericus quacunque dignitate fulgens suspendi potest. 5 Sub generali tamen suspensionis decreto non comprehenduntur Episcopi, nisi specialiter exprimantur. 6 Hoc privilegium extenditur ad Episcopos electos, & confirmatos, ac nondum consecratos. 7 Suspensio potest ferri in cõmunitatem. 8 Suspensio absolutè lata suspendit ab Officio, & Beneficio. 9 Suspensus ab Ordine non est ipso facto suspensus à jurisdictione. 10 Suspensus à collatione Ordinum non est suspensus à collatione primæ Tonsuræ. 11 Nec suspensus à collatione primæ Tonsuræ est suspensus à collatione Ordinum. 12 Episcopus suspensus a Pontificalibus est suspensus ab eis, quæ illis annectuntur, non vero suspensus erit ab eis, quæ ad jurisdictionem pertinent. 13 Suspensus ab Ordine superiore non ideo suspensus est ab Ordine inferiore. 14 Similiter suspensus ab Ordine inferiore non prohibetur ab exercitio Ordinis superioris, nisi actus istius includat actum Ordinis inferioris, à quo suspensus est. 15 Suspensio ab Officio absolutè prolata, nulla restrictione apposita, suspendit ab omni Officio Ordinis, & jurisdictionis spiritualis. 16 Controverti solet: An suspensus ab Officio sit etiam suspensus à Beneficio? Probabilior est sententia negativa. 17 Suspenso absolutè ab Officio non potest licitè conferri Beneficium Ecclesiasticum. 18 Utrùm verò hujusmodi collatio sit irrita ipso facto? Affirmamus. 19 Si suspensus ab Officio Officia Divina solemniter exerceat, lucrabitur, & retinere poterit fructus Officio iniquè exercito correspondentes. 20 Suspensus absolutè ab Officio vocem habet in Capitulo. 21 Suspensus absolutè à jurisdictione non est suspensus ab usu, & exercitio Ordinis. 22 Suspensio à Beneficio non privat Beneficio, sed tantùm illius fructibus. 23 Suspensus absolutè à Beneficio intelligitur suspensus ab omnibus illis, quæ actu possidet, nisi contrarium ex intentione ferentis colligatur. 24 Suspensio ante incursionem appellatione potest suspendi. 25 Debet tamen appellatio esse ex causa rationabili, & legitima.

CONCLUSIO XCVII.

AD TEXT. IN CAP. *Si Civitas* 17. ET CAP. *Quoniam* 19. eod. tit. in 6.

1 INTERDICTUM est *Censura Ecclesiastica prohibens usum Divinorum, quatenus à fidelibus haberi possunt.* 2 Interdictum aliud est locale, quod immediatè locum afficit; aliud personale, quod immediatè afficit personas; aliud mixtum, quod immediatè afficit locum, & ejus incolas. 3 Subdividitur Interdictum locale in generale, & speciale. 4 Interdictum personale vel est totale, vel partiale. 5 Sub Interdicto locali generali civitatis comprehenduntur suburbia, & ædificia continentia. 6 Illa ad hunc effectum dicuntur ædificia continentia, ad quæ populus absque gravi difficultate confugere potest pro audiendis Divinis. 7 Interdictum Diœcesis, vel solius civitatis, in qua Cathedralis est, comprehendit ipsam Cathedralem. 8 Si aliqua Ecclesia interdicta fuerit, illud Interdictum comprehendit Capellam, & Cæmeterium contiguum. 9 Secus dicendum de alia Ecclesia, quæ contigua esset interdictæ, nec ipsi accessoria esset. 10 Per Interdictum locale generale ab Episcopo latum interdicuntur etiam Ecclesiæ Regularium exemptorum. 11 Interdictum personale generale non solùm afficit personas laicas, & Ecclesiasticas, sed etiam innocentes, quæ non dederunt causam Interdicto. 12 Ab hoc Interdicto generali personali excipiuntur Episcopi, nisi exprimantur. 13 Item infantes nondum attingentes septennium, & amentes; non ideo tamen donari possunt Ecclesiastica sepultura. 14 Desineret esse interdictus, qui à populo recederet, alibi domicilium suscepturus. 15 Interdicto populo, Clerus non maneret eo ipso interdictus. 16 Neque, interdicto Clero, manent eo ipso interdicti Religiosi. 17 Interdictis Doctoribus alicujus

jus Universitatis, censentur interdicti Doctores Clerici illius Universitatis. 18 Tempore Interdicti potest suscipi, & conferri Baptismus tam parvulis, quàm adultis, sive sanis, sive infirmis. 19 Administratio hujus Sacramenti io ipsomet tempore Interdicti potest, & debet esse solemnis in Ecclesia, & ritibus consuetis, ac si Interdictum non adesset. 20 Etiam Sacramentum Confirmationis ministrari potest cum solemnitate prærequisita ad illud, & januis apertis. 21 Potest etiam tempore Interdicti suscipi, & administrari Saeramentum Pœnitentiæ quibuscunque fidelibus, qui non dederint causam Interdicto, & qui non sint aliunde excommuoicati. 22 Potest quoque administrari tempore Interdicti localis, & personalis generalis Eucharistiæ Sacramentum constitutis in probabili mortis articulo. 23 Sacerdotes, & laici, quibus concessum est ex privilegio assistere Divinis tempore Interdicti, possunt laicali modo cōmunicare. 24 Tenentur fideles tempore Interdicti adimplere præceptū annuæ Cōmunionis in Paschate. 25 Non licet Sacramentum Extremæ-Unctionis tempore Interdicti ministrare. 26 Si tamen infirmus nullum aliud Sacramentū recipere possit, debet illi ministrari Extrema-Unctio tempore Interdicti. 27 Sacramentū Ordinis non potest administrari, & recipi tempore Interdicti localis, vel personalis à specialiter interdictis. 28 Tempore Interdicti, etiam inter personas interdictas, celebrari potest matrimonium.

CONCLUSIO XCVIII.

AD TEXT. IN CAP. *Alma Mater* 24. eod. tit. in 6.

1 DE Jure novissimo Clerici non solùm semel in hebdomada, sed singulis diebus possunt tempore Interdicti celebrare, & Officia Divina peragere in quibuscunque Ecclesiis, quibusdam servatis. 2 Interdictum absolutè prolatum, sive locale sit, sive personale, sive generale, sive speciale, privat Ecclesiasticâ sepulturâ. 3 Ab hac privatione Ecclesiasticæ sepulturæ tempore Interdicti localis georalis, vel personalis eximuntur Clerici, dummodo non fuerint interdicti specialiter personaliter, nec causam culpabilem Interdicto dederint, aut Ecclesiasticum Interdictum violaverint per actionem propriam Clericorum, nec cum laicis communem. 4 Nomine Clericorum intelliguntur omnes personæ Ecclesiasticæ, sive sæculares, sive Regulares, viri, & fœminæ, etiam Religionum Novitii. 5 In usu tamen hujus privilegii observandæ sunt quædam conditiones, quas dabimus. 6 Communior, & probabilior sententia docet, posse Clericum in Ecclesia specialiter ioterdicta sepeliri, dummodo Clericus sit illius Ecclesiæ. 7 Gravior difficultas est: An Clericus extraneus, & non addictus Ecclesiæ specialiter interdictæ, possit in ea sepeliri? Affirmativam sententiam amplectimur. 8 Quæres: Utrùm quilibet fidelis, qui non fuerit specialiter interdictus, possit publicè sepeliri in loco interdicto in illis Festivitatibus, in quibus de Jure, vel ex privilegio suspenditur Interdictum? Probabilior est sententia negativa. 9 Laicus habens privilegium assistendi Divinis Officiis, & Sacramenta recipiendi tempore Interdicti, non potest ex vi hujus privilegii habere Ecclesiasticam sepulturam. 10 Interdictus ab ingressu Ecclesiæ privatur exercitio Ordinis Sacri in Ecclesia. 11 Privatur insuper auditione Divinorum Officiorum in Ecclesia. 12 Utrùm verò possit Missam celebrare, aut Divina Officia audire in Cæmeterio? Affirmamus. 13 Non privatur ab ingressu Ecclesię, quando Divina non celebrantur. 14 Concessio facta interdictis in cap. *Alma Mater* pro quatuor Festivitatibus in ipso contentis extenditur ad interdictos ab ingressu Ecclesiæ. 15 Laici Interdictum violantes Sacramenta recipiendo, aut assistendo Divinis Officiis, graviter peccant. 16 Clerici tam sęculares, quàm Regulares violantes Interdictum, quodcunque fuerit, graviter peccant ex genere suo, nisi levitas materiæ excuset. 17 Clerici, Religiosi, & Moniales Interdictum locale violantes redduntur inhabiles ad electionem, tam activam, quàm passivam. 18 Clerici etiam Regulares Interdictum locale violaotes suspenduntur ab Officio, & Beneficio, & consequenter à jurisdictione. 19 Religiosi, qui Interdictum generale loci, quod ab Ecclesia Matrice observatur, in suis Ecclesiis non observaverint, vel celebrando, vel admittendo alios ad Divina Officia, incurrunt ipso facto excommunicationem. 20 Religiosi, etiam exempti, tenentur poblicare Interdicta ab Ordinariis lata; salvis tamen eorum privilegiis.

CONCLUSIO XCIX.

AD TEXT. IN CAP. *Accusatus* 5. ET CAP. *Quamvis* 7. caus. 3. quæst. 6.

1 DEPOSITIO, de qua agimus, definiri solet: *Pœna Ecclesiastica privans Clericum Officio, vel Beneficio in perpetuum, & Jure ordinario irremissibiliter.* 2 Depositio alia est totalis, partialis alia. 3 Depositus privatur fructibus, non autem titulo Beneficii. 4 Venit tamen privandus. 5 Deposito non privato Beneficio debent alimenta assignari ex fructibus Beneficii. 6 Secus dicendum, si Beneficio spoliatus fuerit. 7 Degradatio duplex est; verbalis una, realis, & actualis alia. 8 Si degradatio verba-

CONCLUSIO LXIV.

AD TEXT. IN CAP. *Significasti* 4. CAP. *Quanto* 7. ET CAP. *Gaudemus* 8. *de Divortiis*, lib. 4. Decret. tit. 19.

1 ADULTERIUM est sufficiens causa ad divortium faciendum quoad torum, & habitationem in perpetuum. 2 Non solùm conceditur marito divortium perpetuum facere ob adulterium uxoris, sed etiam uxori ob adulterium mariti. 3 Sodomia habita à viro cum propria uxore, quamvis invitâ, non dat justam causam ad divortium perpetuum, sed tantùm ad tempus. 4 Si uxor probabiliter credens maritum esse mortuum, alii nubat, vel etiam fornicetur, non præbet justam causam faciendi divortium. 5 Idem dicendum, si ab ipsa omnino invita per violentiam extorqueatur copula. 6 Controvertitur tamen: An adulterium commissum per metum cadentem in constantem virum det alteri conjugi causam sufficientem divortii? Affirmantibus subscribimus 7 Si uterque conjux adulterium commisit, nequit fieri divortium. 8 Imò, si ob adulterium uxoris facta est separatio quoad cohabitationem, & torum, & vir etiam postea fornicetur, sive adulterium committat, redintegrari debet matrimonium antea dissolutum, ita ut ad uxorem suam teneatur redire, eique cohabitare, etsi divortium factum sit per sententiam Judicis. 9 Divortium tollitur reconciliatione, vel condonatione injuriæ, sive condonatio sit facta expressè, sive tacitè. 10 Quando uterque conjux fuit adulter, sed unus emendatus, alter verò non, potest conjux emendatus divortium celebrare, si admonitus alter conjux in adulterio persistat. 11 Si adulterium publicum, & notorium sit, poterit conjux innocens propria authoritate ab adultero recedere, tam quoad debiti redditionem, quàm cohabitationem mutuam. 12 Ob adulterium alterius privatum, & occultum potest conjux innocens propria authoritate recedere, saltem pro foro conscientię, & supposito, quòd certò moraliter constet adulterium commissum. 13 Si conjux innocens velit ultro reconciliari nocenti post factum divortium, tenetur nocens acceptare, & ad cohabitationem redire, modò neuter conjugum statum mutaverit. 14 Etsi conjux innocens, si velit, possit reconciliari adultero resipiscenti, & cum illo redintegrare matrimonium; non tamen ad hoc tenetur. 15 De fide statutum est à Tridentino, dari alias causas ultra adulterium, quæ inducant separationem conjugum, non perpetuam, sed taotùm ad tempus. 16 Hæresis cum pertinacia dat causam sufficientem conjugi innocenti divertendi à conjuge hæretico. 17 Conjux Catholicus propria authoritatę separatus ab uxore hæreticâ oon potest Sacros Ordines suscipere, aut in Religione profiteri. 18 Non tenetur conjux Catholicus reconciliari cum uxore hęretica resipiscenti ab hæresi, ob quam judicio Ecclesię damnata fuit. 19 Hinc sequitur, conjugem Catholicum posse ad Religionem convolare, Sacros Ordines assumere, aut in sæculo manere, etiamsi invita sit uxor de hæresi damnata, sed resipiscens. 20 Conjux Catholicus copulam habens cum uxore hęretica ante sententiam damnationis, non ideo censetur condonare. 21 Secus, si post sententiam copulam haberet, & animum expressum condonandi. 22 Sævitia conjugis, seu periculum gravis damni, & pessimæ tractationis, quæ aliter vitari non possit, dat causam sufficientem divortii. 23 Non solùm dat causam sufficientem ad divertendum sęvitia præterita, sed etiam probabilis, & fundatus timor sævitiæ futuræ. 24 Grave periculum animæ dat sufficiens motivum divertendi ad tempus à conjuge incitante ad peccatum, qui monitus non desistit.

CONCLUSIO LXV.

AD TEXT. IN CAP. *Cùm essent* 12. CAP. *Tua nos* 34. ET CAP. FIN. *de Simonia, &c.* lib. 5. Decret. tit. 3.

1 SIMONIA definitur: *Studiosa voluntas emendi, aut vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum.* 2 Est peccatum ex genere suo mortale, & gravissimum. 3 Ob solam parvitatem materiæ nequit esse veniale. 4 Dividitur in eam, quæ est Juris Divini, & illam, quæ est Juris positivi Ecclesiastici. 5 Item in Mentalem, Conventionalem, & Realem, ad quas reducitur etiam simonia Confidentialis. 6 Fictè promittens temporale pro re spirituali, quamvis graviter peccet, non est verè simoniacus 7 Pretium simoniacum dividitur communiter à DD. in munus à manu, à lingua, & ab obsequio. 8 Non est simonia dare aliquid gratis pro re spirituali, vel dare spirituale ratione purę amicitiæ, vel consanguinitatis, quamvis ab amico, vel consanguineo collator aliquid acceperit, dummodo non fuerit traditum, & acceptum, ut spirituale conferatur. 9 Dare quodcunque donum, vel obsequium temporale absque ulla recipientis obligatione ex sola spe gratitudinis, & intuitu remunerationis per spirituale donum exhibendę, nec simoniacum est, nec, per se loquendo, illicitum. 10 Imo nec simoniam committit, qui spem hanc suam accipiendi Beneficium Ecclesiasticum, vel aliud

aliud quid ſpirituale, explicat illi, cui dedit temporale, & gratum ab illo animum poſtulat, modò temporale omnino gratis detur, & abſit omne pactum, & voluntas alterum obligandi. 11 Non committitur ſimonia, ſi detur Beneficium Eccleſiaſticum benefactori temporali ex gratitudine, & ad ſatisfaciendum obligationi antidorali inde ortę, dummodo gratitudo non deducatur in pactum. 12 Datur ſimonia, etſi dicatur dari temporale non tanquam pretium, ſed tanquam motivum conſequendi ſpirituale. 13 Si res, vel actus ſpiritualis detur, aut exerceatur ob finem temporalem extrinſecum, committitur ſimonia. 14 Similiter committitur ſimonia, quando res, vel actus ſpiritualis præſtatur principaliter propter finem temporalem intrinſecum. 15 Secus dicendum, ſi res, vel actus ſpiritualis præſtetur minus principaliter propter finem temporalem extrinſecum. 16 Si quæras: An ſimoniaca ſit pactio, qua Clericus convenit de ſtipendio, ſive congrua ſuſtentatione perſonæ ſuæ, antequam in ſe ſuſpiciat obligationem miniſtrandi ſpiritualia? Reſpondemus negativè. 17 Etiam non eſt ſimoniaca pacto ſolvendi debita ab anteceſſore in Beneficio nomine Eccleſiæ contracta. 18 Recipere aliquid in profeſſione, vel ingreſſu Religioſi in Religionem pro illius ſuſtentatione, non eſt ſimoniacum. 19 Etiamſi monaſterium dives ſit, licitum eſt aliquid recipere pro ſuſtentatione, & de hoc paciſci. 20 Labor intrinſecus, & neceſſariò conjunctus cum operibus ſpiritualibus non poteſt pretio compenſari abſque ſimonia. 21 Aliter dicendum de extrinſeco, & per accidens talibus operibus conjuncto. 22 Mediator aſſumens curam præcisè informandi Prælatum de meritis talis perſonæ, poteſt pro hoc munere pretium recipere. 23 Permutatio Beneficiorum, ſi fiat authoritate privata, eſt illicita, & ſimoniaca. 24 Secus dicendum, ſi fiat authoritate Superiorum. 25 Tractare partes de permutatione Beneficiorum, etiam ſub onere penſionis, ante conſenſum Prælati, non eſt illicitum, nec ſimoniacum. 26 Permutare res ſpirituales extra materiam Beneficiorum non eſt ſimonia.

CONCLUSIO LXVI.

AD TEXT. IN CAP. *Judæi* 5. CAP. *Ita quorundam* 6. CAP. *Sicut* 9. ET CAP. *Cùm ſit* 16. *de Judæis, &c.* lib. 5. Decret. tit. 6.

1 INFIDELITAS adæquatè dividitur in Paganiſmum, Judaiſmum, & Hæreſim. 2 Certum eſt, non licere Catholico admittere infidelem ad Sacramentorum participationem. 3 Jure Eccleſiaſtico prohibitum eſt fideli admittere infidelem non baptizatum ad Sacrificium Miſſæ, niſi ex admiſſione ſpecialis fructus ſperari poſſet. 4 Jure Divino, & Naturali prohibita eſt communio fidelis cum infidelibus in ſuis ritibus, & ſuperſtitioſo cultu. 5 Inter Chriſtianos licitè tolerantur Judæi. 6 Non eſt licitum fabris Chriſtianis laborare in ædificandis, vel reſtaurandis Synagogis Judæorum, aut delubris Paganorum. 7 Judęi non poſſunt inviti, & nolentes compelli ad Baptiſmum ſuſcipiendum. 8 Si in contemptum noſtræ Religionis aliquid faciant, puniri poſſunt ab Eccleſia, & Inquiſitoribus. 9 Quoad alia delicta de Jure communi coerceri debent, non ab Eccleſia, ſed à Principibus, & Magiſtratibus, in quorum territorio degunt. 10 Si Judex ſæcularis in hoc deficeret, ad id compellendus eſſet per cenſuras à Judice Eccleſiaſtico. 11 Certum eſt, infideles non baptizatos, qui temporali juriſdictioni Papæ, aut alicujus Principis Chriſtiani ſubjecti non ſunt, nec à Papa, nec ab alio Principe Chriſtiano compelli poſſe ad audiendam fidem, & Evangelium. 12 Utrùm verò infideles ſubditi ad id compelli poſſint? Affirmamus. 13 Prohibentur Chriſtiani ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda deferre, ſeu tranſmittere arma ad infideles. 14 Incurrunt hanc excommunicationem, etiamſi non deferant arma nomine proprio, ſed alieno. 15 Quæres: An comprehendantur etiam vendentes, commodantes, commutantes, vel gratuitò donantes? Probabilior eſt reſolutio affirmativa. 16 An verò excommunicatio extendatur etiam ad Chriſtianos, qui morantur in terris ſuis, & arma vendunt infidelibus ad eos venientibus? Veriùs opinantur, qui affirmant. 17 Non excuſantur, quamvis ea vendant pacto inito cum infidelibus, ne eis utantur contra Chriſtianos. 18 Non opus eſt, quòd arma deferantur animo favendi infidelibus; ſed ſatis eſt, quòd ſpe lucri, aut ob cupiditatem deferantur. 19 Si delata ſint pro redemptione captivorum, qui aliter liberari non poſſunt, non incurritur excommunicatio. 20 Probabilius tamen eſt, id fieri non poſſe abſque licentia ſpeciali Papæ. 21 Non incurrit hanc excommunicationem Princeps Chriſtianus, qui injuſtè ab alio Principe Chriſtiano vexatus, ſecluſo ſcandalo, convocaret infideles, aut hæreticos in ſui defenſionem, iiſque non ſufficienter armatis præberet arma, ſi alius non ſuppetat modus ſe defendendi. 22 Illicitum tamen erit Principi Catholico hoc efficere, ne alter Princeps Catholicus ſuperior evadat. 23 Hæc excommunicatio comprehendit etiam eos, qui infidelibus præſtant auxilium, conſilium, vel favorem contra Chriſtianos.

CON-

CONCLUSIO LXVII.

AD TEXT. IN CAP. *Excommunicamus* 13. *de Hæreticis*, lib. 5. Decret. tit. 7.

1 CERTUM est, omnes hæreticos incurrere excommunicationem latæ sententiæ, & post Bullam Cœnę reservatam Summo Pontifici. 2 Ut quis censeatur hæreticus, non opus est, quòd moneatur de suo errore; sufficit enim, quòd agnoscat se contradicere Ecclesiæ. 3 Qui deliberatè, & positivè dubitat de aliqua veritate revelata, & ut tali ab Ecclesia sufficienter proposita, est formaliter hæreticus. 4 Assentiens fidei mysterio assensu opinativo extrinsecè formidoloso censuræ subjacet, ut verus hæreticus. 5 Credens unum fidei articulum ab Ecclesia definitum, quem tamen ex conscientia erronea putat aliter definitum esse ab Ecclesia, est hæreticus. 6 Secus dicendum, si falsum credat existimans ex eadem conscientia ita esse definitum ab Ecclesia. 7 Siquis sentiens contra Ecelesiam paratus sit ab ipsa corrigi, dummodo argumentis convincatur, pro hæretico reputandus est, etiamsi illico ab hoc errore resipiscat. 8 Negans cooclusionem deductam ex una de fide & altera scientifica, non est hęreticus. 9 Secùs verò dicimus, si neget conclusionem deductam ex utraque de fide. 10 Ad hæresim non sufficit error in fide, nisi conjugatur cum pertinacia, juxta terminos textûs in cap. *Dixit Apostolus*, 24. q. 3. 11 Pertinacia in eo stat, quòd quis sciens suum errorem adversari universalis Ecclesiæ Christi in terris doctrinæ, nihilominus illum huic doctrinę praeferat. 12 Gravis quæstio est inter DD: quænam ignorantia excuset ab hæresi? Respondeo, omnem ignorantiam, etiam crassam, & affectatam, excusare, licèt affectetur animo liberiùs peccandi. 13 Catechumenus cum pertinacia adhærens alicui errori fidei contrario, licèt apud Deum sit verus hæreticus, non ut talis ab Ecclesia punitur, neque censuris, neque aliis hæreticorum pœnis. 14 Hoc idem asserimus de invalidè baptizato. 15 Ille, de cujus Baptismo dubitatur, & errat in fide, si inter fideles natus, & educatus est, hæreticus est putandus, & ut talis puniendus: secus verò, si inter infideles. 16 Magis controversum est: Utrùm baptizatus per vim, & contra fidem delinquens, habendus sit pro hæretico? Reputandum esse hęreticum affirmamus. 17 Ut censura lata cootra hæreticos incurratur, requiritur manifestatio interna hęresis mortaliter peccaminosa. 18 Proferens in somno, vel ebrietate suam hæresim, quam mente retinet, non incurrit excommunicationem, licèt ad id ipsum ebrietatem, vel somnum elegerit. 19 Si verò somnum, aut ebrietatem dissimulet, tunc manet excommunicatus. 20 Quid de eo centendum, qui verbis æquivocis internum errorem contra fidem proferret? Probabilius est, esse hæreticum, & innodari excommunicatione lata contra hęreticos. 21 Utrùm verò scribens hæresim charsecteribus sibi tantùm notis, vulgò *cifras*, incidat in hanc censuram, & aliis pœnis in hæreticos latis subsit? Noo subest.

CONCLUSIO LXVIII.

AD TEXT. IN CAP. *Ex literarum* 2. *de Apostatis, & reiterantibus Baptisma*, lib. 5. Decret. tit. 9.

1 QUI culpabiliter Baptismum publicè iterat, evadit irregularis. 2 Idem dicendum de eo, qui ex officio ministrat in tali iteratione Baptismi publici. 3 Ut rebaptizans, & ejus minister ex officio irregulares evadant, debet iteratio esse graviter culpabilis. 4 Item rebaptizans debet esse minister ex officio, ut huic irregularitati subjaceat. 5 Non est tamen hęc irregularitas totalis, & absoluta, sed tantùm partialis, & secundùm quid. 6 Controvertitur inter DD. An incurratur irregularitas ista, si Baptismus reiteratus fuerit occultus? Negativam sententiam amplectimur. 7 Qui se culpabiliter rebaptizari permittit, incurrit irregularitatem absolutè, & simpliciter; adeoque nec ad Ordines promoveri potest; nec in susceptis ministrare. 8 Non incurrit hanc irregularitatem rebaptizans, si rebaptizavit eum, quem putabat non esse baptizatum. 9 Baptizans ex malitia, quem baptizatum putabat, qui reverà non erat, licèt graviter peccet; non incurrit tamen irregularitatem. 10 Irregularitatem incurrunt rebaptizans, aut rebaptizatus ex metu gravi cadente in constantem virum, dummodo rebaptizans intentionem habeat baptizandi, aut rebaptizatus intentionem iterum habeat suscipiendi Baptismum. 11 Si verò intentionem illam non haberent, sed fictè id efficerent, irregularitatem non incurrerent. 12 Idem dicimus in foro conscientiæ de eo, qui absque metu, & coactione rebaptizaret, aut rebaptizaretur absque animo conficiendi Sacramentum Baptismi. 13 Qui sub conditione baptizat illum, quem scit esse baptizatum; vel temerè, & absque præmissa diligentia rebaptizaret sub conditione, quem ignorat baptizatũ esse, vel non, irregularitatem non iocurrit. 14 Pro aliorum Sacramentorum iteratione non incurritur irregularitas, sive Sacramenta imprimant characterem, ut Confirmatio, & Ordo, sive non imprimant. 15 Qui liberè, & absque urgenti necessitate Baptismum ab hæretico suscipit, fit irregularis. 16 Secus verò dicendum, si adultus absque culpa ab hæretico Baptismum suscepit, vel quia probabiliter hæreti-

cum

cum non putabat, vel quia justam habebat necessitatem suscipiendi ab eo Baptismum. 17 Qui differunt Baptismum usque ad senectutem, vel ægritudinem, aut aliud mortis periculum, fiunt irregulares. 18 Quod intelligendum est, si dilatio fuerit libera.

CONCLUSIO LXIX.

AD TEXT. IN CAP. *Interfecisti* 2. CAP. *Sicut ex literarum* 20. ET CAP. *Postulasti* 21. *de Homicidio voluntario, vel casuali*, lib. 5. Decret. tit. 12.

1 HOMICIDIUM definitur: *Violenta exanimatio hominis ab homine facta*. 2 Aliud est voluntarium, aliud casuale. 3 Nunquam licitum est se ipsum occidere. 4 Non tenemur uti mediis extraordinariis ad vitam conservandam. 5 Possunt omitti etiam media ordinaria ex motivo virtutis. 6 Licitum est, & aliquando cadit sub obligatione facere aliquid, ex quo prævidetur mors secutura. 7 Quando Princeps, servato Juris ordine, concessit omnibus facultatem occidendi bannitos, potest quicunque illos occidere sine peccato. 8 Non licet marito occidere uxorem in adulterio deprehensam. 9 Idem dicendum, si maritus esset Judex. 10 Hinc deducitur, uxorem, & adulterum posse licitè se defendere, & cum moderamine inculpatæ tutelæ etiam occidere maritum, à quo injustè invaduntur. 11 Utrùm verò adulter occidens cum moderamine inculpatæ tutelæ irregularitatem incurrat? Negantibus subscribimus. 12 Nunquam licitum est directè occidere innocentem. 13 In nullo casu licet directè procurare abortum, sive fœtus sit animatus, sive inanimatus. 14 Nihilominus licitum est dare pharmacum matri, sive scindere venam, si id tendat de sua natura ad restituendum illi sanitatem, quamvis secundariò prævideatur secuturus abortus. 15 Si quæras: An procurans abortum incurrat irregularitatem in dubio, fuerit, necne fœtus animatus? Negativè resolvimus. 16 Cum moderamine inculpatæ tutelæ licitum est occidere injustum aggressorem, etiam ad defendendum extraneum innocentem. 17 Etiam licet prævenire, & occidere injustum invasorem, à quo quis esset occidendus, si meritò timeat, quòd non poterit postea resistere, nisi præveniat volentem occidere. 18 Licitum est occidere injustum invasorem bonorum fortunæ, si sint magni momenti, nec alia via possint defendi, aut recuperari. 19 Non possunt licitè occidi accusatores, testes, & Judices, etsi injustè spoliandi essemus rebus, quas actu possidemus, vel impediendi à possessione rei, ad quam jus habemus. 20 Non licet occidere eum, qui nititur calumniam inferre. 21 Post alapam impactam non est licitum occidere, seu vulnerare percussorem fugientem. 22 Quando Princeps justo titulo possidet regnum, & solo regimine sit tyrannus, non potest à quocunque privato occidi. 23 Licitum est interficere tyrannum, qui sine justo titulo conatur invadere regnum. 24 Quod intelligendum etiã est, quamvis illud jam sine justo titulo occupaverit.

CONCLUSIO LXX.

AD TEXT. IN CAP. *Siquis viduam* 8. dist. 50. CAP. *Aliquantos* 1. dist. 51. & Clement. unic. *Si furiosus de Homicidio voluntario, vel casuali*, lib. 5. Clement. tit. 4.

1 HOMICIDA voluntarius est irregularis, quamvis homicidium sit occultum. 2 Hanc irregularitatem incurrit mandans, si ex mandato intimatę homicidium, abortus, aut mutilatio sit secuta. 3 Neque excusatur, quamvis ante homicidium patratum mandatum revocarit, si revocatio mandatario non innotuit. 4 Irregularis etiam fit consulens, & persuadens homicidium, si ex vi talis consilii perpetretur. 5 Quod intelligendum, etiamsi revocatio consilii intimata sit ei, cui hoc datum est, si mors fuerit secuta. 6 Si plures vulnera inflixerint, quę singillatim accepta ex se lethalia non sint, si simul sumpta mortem induxerint, omnes censendi sunt irregulares. 7 Qui voluntariè non impediunt homicidium, vel mutilationem, quam tenentur ex justitia, vel officio impedire, irregularitatem incurrunt. 8 Secus dicendum, si solùm ex charitate teneantur impedire. 9 Ratum habens homicidium in sui gratiam factum non incurrit Irregularitatem. 10 Fit irregularis, qui aliquem mutilat, vel occidit graviter excedendo in sui defensione moderamen inculpatæ tutelæ. 11 Non fit irregularis, qui dat operam rei licitæ, & sufficienter pręcavet periculum, ne ex tali actu mors alterius, vel mutilatio sequatur. 12 Idem dicendum de eo, qui dat operam rei illicitæ, si omnis diligentia sit adhibita ad homicidium pręcavendum. 13 Propter homicidium, vel mutilationem justam etiam incurritur irregularitas, quæ dicitur ex defectu perfectæ lenitatis. 14 Hanc incurrit quilibet Judex Summo Pontifice inferior, qui fert sententiam mortis, aut mutilationis 15 Ab hac irregularitate eximuntur Inquisitores hæreticæ pravitatis, Officiales ejusdem Sacræ Inquisitionis,

verbalis authentica, & solemnis fieri debeat de aliquo Clerico in Minoribus constituto, sufficit proprius Episcopus. 9 Debent tamen esse præsentes aliqui de Clero Capitulum repræsentantes, ut sententia sit valida. 10 Quod intelligendum, nisi aliud consuetudine firmatum fuerit. 11 Si degradatio fieri debeat de Clerico in Sacris constituto, requiruntur sex alii Episcopi, si degradandus sit Sacerdos. 12 Si Diaconus, aut Subdiaconus sit, requiruntur tres Episcopi. 13 Quando Episcopi cômodè haberi nequeunt, adhibendi sunt totidè Abbates, habentes usum mitræ, & baculi. 14 Quod si in Diœcesi totidem Abbates commodè adhiberi non possint, adhibendæ erunt personæ in dignitate constitutæ. 15 Excipitur tamen casus hæresis. 16 Si Episcopus degradandus sit, per Pontificem degradandus erit. 17 Cognitio tamen causæ fieri debet per Metropolitanum, convenientibus omnibus Episcopis totius Provinciæ, qui ad minus debent esse duodecim ultra Metropolitanum. 18 Si degradandus fuerit Religiosus, & exemptus, nullus alius præter Pontificem degradationis sententiam ferre potest. 19 Episcopus potest alteri delegare facultatem deponendi, & degradandi realiter. 20 Episcopus non consecratus, sed tantùm electus, & confirmatus, potest deponere, & degradare verbaliter tantùm. 21 Episcopi, aut aliæ personæ in dignitate constitutæ, quarum præsentia necessariò requiritur ad degradationem, habent votum decisivum. 22 Requiritur insuper in degradatione Sacerdotis, aut Diaconi, ut omnes simul conveniant cum Episcopo in sententia degradationis ferenda, nemine discrepante. 23 Degradatio realis potest fieri ex commissione proprii Episcopi per alium Episcopum consecratum. 24 Qui depositus, aut degradatus actualiter fuerit, non poterit iterum in pristinum statum restitui, nisi authoritate Pontificis, regulariter loquendo. 25 Potest tamen Episcopus dispensationem concedere, post peractam pœnitentiam, ob depositionem solùm verbaliter factam propter crimina, quæ minora fuerint adulterio. 26 Nec requiritur consensus Capituli ad hanc dispensationem faciendam ab Episcopo.

CONCLUSIO C.

AD TEXT. IN CLEMENT. *Ex frequentibus* 1. *de Sententia Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti*, lib. 5. Clement. tit. 10.

1 CESSATIO à Divinis est *Prohibitio Ecclesiastica Clericis imposita abstinendi ab Officiis Divinis in aliquo loco.* 2 Hæc prohibitio non est censura, sed quædam Divinorum Officiorum negatio in signum doloris, ac tristitiæ conceptæ ab Ecclesia ob gravissimam injuriam sibi, & honori Divino illatam, & in illius reparationem. 3 Cessatio à Divinis alia est generalis, alia specialis. 4 Nullam determinatam personam afficit, sed omnes æquè arcet à Divinis celebrandis in locis, ubi imposita est. 5 Nullus alius præter Summum Pontificem cessationis effectus limitare potest. 6 Prohibet Divina Officia. 7 Quæ prohibitio directè afficit Clericos, & ad laicos extenditur. 8 Privilegium concessum in Cap. *Alma Mater* pro quatuor solemnioribus Festivitatibus non est extendendum in rigore Juris ad cessationem à Divinis. 9 Nihilominus ex benignitate Ecclesiæ, & ex quadam æquitate, & consuetudine hæc extensio facienda est. 10 Privilegium concessum Clericis, ut in locn interdicto possint Officia Divina celebrare submissâ voce, januis clausis, & campanis non pulsatis, non extenditur ad cessationem à Divinis. 11 Quando quis privilegium habet audiendi Divina, vel celebrandi tempore Interdicti, vi talis privilegii non potest ea audire, vel celebrare tempore cessatioois. 12 Excipe privilegium concessum cmmunitati, vel personis in dignitate constitutis. 13 Licitum est tempore cessationis à Divinis celebrare in qualibet Ecclesia semel in hebdomada pro renovanda Eucharistia. 14 Possunt etiam Clerici recitare Horas in particulari, bini, vel terni. 15 Spectato Juris rigore, solus Baptismus, & Pœnitentia in periculo mortis, ac Viaticum tempore cessationis potest ministrari. 16 Ex benignitate tamen Ecclesiæ possunt ministrari omnia Sacramenta, quæ ministrari possunt tempore Interdicti. 17 Privatio sepulturæ non provenit à cessatione per se sumpta, sed ab Interdicto, quod ferè semper supponit. 18 Delictum, propter quod imponitur, debet esse notorium, & manifestum ootoreitate facti, ut ejus scandalo possit cessatione occurri. 19 Qui causam dedit cessationi justæ, reparare debet omnia damna, quæ innocentibus personis inde proveniunt. 20 Insuper arbitrio superioris condemnandus est in aliqua quantitate convertenda in augmentum cultûs Divini. 21 Religiosi exempti tenentur servare, & publicare cessationem impositam ab Episcopo, vel Capitulo, & observatam ab Ecclesia Matrice. 22 Laici violaotes cessationem arbitrio judicis puniri debent. 23 Clerici, & Religiosi, tam exempti, quàm non exempti, incurrunt ipso facto excommunicationem, si cessationem generalem à Matrice observatam violent. 24 Ex violatiooe cessationis specialis nulla pœna ipso Jure contrahitur.

CONIMBRICÆ:
Ex Typ. in REGIO ARTIUM COLLEGIO SOC. JESU, Anno Domini 1742.
Cum facultate Superiorum.

